OFFICIA PROPRIA ARCHIDIŒCESIS PARISIENSIS

AUCTORITATE S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI


MAURITII CARDINALIS FELTIN

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI

EDITA

500.283

PARS ÆSTIVA



TURONIBUS
TYPIS MAME
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

Scanné avec CamScanner

OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS PARISIENSIS

PARS ÆSTIVA

FESTA MAJI

DIE 19 MAJI

In Festo S. Petri Cælestini

SANCTI YVONIS
CONFESSORIS
COMMEMORATIO

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem paupéribus patrem, víduis patrónum, pupíllis tutórem providísti : da nobis, ejus intercessióne, símili caritáte flagráre; et ita spérnere temporália quæ tránseunt, ut cónsequi mereámur ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Pudentianæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Yvo, natióne Brito, in território Trecorénsi nobilíbus paréntibus natus, Parísiis primum lítteras didícit, mox Aureliáni juri óperam dedit.

Scanné avec CamScanner

Ab archidiácono Rhedonénsi accítus est ut jus in foro ecclésiæ díceret. Inde ab epíscopo Trecorénsi cúriæ ecclesiásticæ judex est factus. Hic páuperum causas benígne suscipiébat ; litigántes ad concórdiam fléctere nitebátur. Hic pupillórum viduarúmque pater et advocátus méruit appellári. Munus póstea dimísit ut caritátis offíciis potíssimum vacáret, ad curam animárum transíret, et totum verbo Dei prædicándo se daret. Fuit miráculis clarus, prædictóque sui óbitus die, anno millésimo trecentésimo tértio, quarto décimo Kaléndas Június, in Dómino obdormívit. Summus Póntifex Clemens sextus eum in albo sanctórum inscrípsit, quem patrónum advocáti parisiénses elégerunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem paupéribus patrem, víduis patrónum, pupíllis tutórem providísti : da nobis, ejus intercessióne, símili caritáte flagráre ; et ita spérnere temporália quæ tránseunt, ut cónsequi mereámur ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Pudentianæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

DIE 25 MAJI

In Festo S. Gregorii Papæ VII

Stæ MAGDALENÆ SOPHIÆ BARAT VIRGINIS COMMEMORATIO

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Magdalénam Sophíam, ad exémplum Cordis tui, humilitáte et caritáte mirabíliter decorásti, et novam vírginum famíliam per eam floréscere voluísti : fac nos sanctíssimo Cordi tuo júgiter adhærére ; et ejúsdem imitatióne, tui gaudére consórtio : (Qui vivis et regnas.)

Deinde S. Urbani I Papæ et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Pro S. Magdalena Sophia Barat :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Magdaléna Sophía Barat ortum hábuit Juviníaci in Burgúndia prídie Idus Decémbris anno millésimo septingentésimo septuagésimo nono. Sub fratris moderámine, qui præcláras dotes soróris suæ admirabátur, in bonis ártibus ac philosophía, rerúmque sacrárum stúdio necnon humilitátis, obediéntiæ, suíque abnegatiónis exercítio profécit. Parísiis ad puéllas educándas prima jecit illíus vírginum societátis fundaménta, quam deínde Ambiáni absólvit.

Scanné avec CamScanner

In offício suprémæ moderatrícis mira præbuit prudéntiæ, sagacitátis, fortitúdinis ac benignitátis exémpla. Plúribus tentáta morbis, innúmeris vexáta ærúmnis ac moléstiis, ómnia semper forti ánimo pértulit. Ita factum est ut hæc felicíssima institútio longe latéque per totum fere orbem terrárum diffunderétur. Quamquam tot curis laboribúsque exércitam Magdaléna vitam diu prodúxit, úsquedum ætátis anno octogésimo quinto, repentíno corrépta morbo, in die Ascensiónis Dómini nostri, anno millésimo octingentésimo sexagésimo quinto ad divínum sponsum, quem únice diléxerat, e Parisiénsi domo avolávit. Post óbitum Deus ejus sanctitátem plúribus miráculis illustrávit. Pius décimus eam Beatórum cælitum albo adscrípsit; Pius vero undécimus, novis fulgéntem signis, ad suprémos altárium honóres evéxit anno jubilǽi millésimo nongentésimo vigésimo quinto.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes Com. S. Magdalenæ Sophiæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Magdalénam Sophíam, ad exémplum Cordis tui, humilitáte et caritáte mirabíliter decorasti et novam vírginum famíliam per eam floréscere voluísti : fac nos sanctíssimo Cordi tuo júgiter adhærére ; et ejúsdem imitatióne, tui gaudére consórtio : (Qui vivis et regnas.)

Deinde S. Urbani I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum

atque Summum Pontífi-cem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

DIE 28 MAJI

SANCTI GERMANI PARISIENSIS

EP. ET CONF.

Duplex majus

Capit. Ecce sacérdos, et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Deinde S. Augustini Ep. et Conf. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde ; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Germánus, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus pene distántem, quacúmque äëris intempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium, Agrippíni successórem, factus est abbas monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum epíscopo mórtuo suffectus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et cum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos, beneficéntia fuit : quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem et pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno per impositiónem mánuum sanitáte, villam ipsam donávit matri ecclésiæ Parisiénsi,

quæ jam tunc in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accersítus a Clotário, qui quod eum contempsísset, a Deo percússus fúerat, illum, admótis vestiméntis suis, sanávit. Caribértum, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit, eíque sacris interdíxit. Sigebértum, imploráta étiam per lítteras Brunichíldis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

PROFÉCTUS ad sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judǽum quemdam Christo lucrátus est, ejúsque cónjugem a dǽmone obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis Judǽis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni, in ordinatióne Syágrii, Florentíno, qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad basílicam sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crucis signo occlúsas fores apéruit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum diébus, ad suum léctulum per notárium inscríbi vóluit verba : Quinto Kaléndas Júnias. Qua die cum obiísset, tunc apértus est, qui eátenus latúerat verbórum sensus. Corpus ejus sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium, in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno

Pater. Absol. Avínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem
Lectio vii Cap. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi
Sermo 138

Audívimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non ei cura de óvibus, mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi mártyres? Nonne omnes pastóres boni ; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam ?

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti epíscopi. Omnes hi pastóres boni ; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid dicis, Dómine,

bone pastor? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid est ergo quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso Evangélio commémorans caritátem vestram, et dicens: Audíte quid commendávi. Ego sum pastor bonus, dixi : quia omnes céteri, omnes pastóres boni, membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apóstolus : Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dominum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Augustino :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Augustínus, Romæ in Lateranénsi cœnóbio mónachus, a Gregório Magno cum sóciis mónachis fere quadragínta in Angliam missus est, anno quingentésimo nonagésimo séptimo. A rege Ethelbérto Cantuáriam, ejus regni metrópolim, invitátus cum sóciis, prope eam oratórium exstrúxit. Cæléstis doctrínæ prædicatióne plerósque insulános ac regem ipsum ad christiánam fidem perdúxit, summa cum lætítia Berthæ, regis uxóris, quæ christiána erat. Jussu Gregórii ordinátus epíscopus, sedem Cantuariénsem instítuit, et ab eódem Pontífice usum pállii cum facultáte hierarchíæ in Anglia instituéndæ obtínuit. Máximis demum pro Christo exantlátis labóribus, cum Mellítum Londinénsi Ecclésiæ præfecísset, Justum Roffénsi, suæ Lauréntium in cælum migrávit séptimo Kaléndas Június, et sepúltus est in monastério sancti Petri,

Scanné avec CamScanner

quod exínde Cantuariénsium antístitum et áliquot regum conditórium fuit.
Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

GERMÁNUS apud Æduos honéstis paréntibus natus, présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, factus est Abbas monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum epíscopo mórtuo suffectus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Nihil suávius ipsi fuit quam in ecclésia rebus divínis interésse et psállere horas noctúrnas. Ita Deo erat inténtus ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis. Iter agens, divínum offícium nudo cápite persolvébat. Cum autem rex Childebértus in gravem morbum apud Cellas in pago Melodunénsi incidísset, Germánus per impositiónem mánuum ei sanitátem restítuit. Clotárium, a Deo percússum, admótis vestiméntis suis sanávit. Caribértum, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit eíque sacris interdíxit. Bituricénsem Judæum quemdam Christo lucrátus est, ejúsque cónjugem a dæmone obséssam liberávit. Augustodúni Florentíno qui póstea fuit epíscopus Matisconénsis óculi usum restítuit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, ac in Turonénsi secúndo. Die ab eo prænuntiáto óbiit. Corpus ejus sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Augustini :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Vesperæ de sequenti, Com. præcedentis, S. Augustini et S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg.

DIE 29 MAJI

B. MARIÆ VIRG. OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

Duplex majus

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Benedictiónem * omnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capit. Is. 55, 1

Omnes sitiéntes, venite ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite :

Scanné avec CamScanner

veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus Ave, maris stella.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Ecce Dóminus meus * ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti ; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Deinde S. Augustini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde ; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes.

Postea Com. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam,

quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da, ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

Christus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans!
O inexhástum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque!

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Ant. 2 Manus meæ * stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima.

Ant. 3 Vadam ad montem * myrrhæ, et ad collem thuris.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus.
℟. Sancta Dei Génitrix.

Scanné avec CamScanner

Pater. Absol. Exáudi.
Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-11

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea : * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et radicávi.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Ibid., 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient : et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : * Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. ℣. In viis justítiæ ámbulo,

Scanné avec CamScanner

in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Mélior est enim.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Ibid., 41-46

Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi: Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare: quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleminí. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Transíte. Glória Patri. Transíte.

In II Nocturno

Ant. 4 Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres.

Ant. 5 Pete, Mater mea; * neque enim fas est ut avértam fáciem tuam.

Ant. 6 Tu ínvoca Dóminum, * et lóquere Regi pro nobis, et líbera nos de morte.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

Pater. Absol. Ipsíus.

Bened. Deus Pater.

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

Dómina mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem

meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant, Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen ; nihil enim est fírmius trophǽum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus : per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus : per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sǽculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur ; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Nec.

Bened. Christus perpétuæ.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9 post medium

Lectio v

Nos, qui divinórum óperum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus: Misericórdia Dómini plena est terra. Nos, in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum númerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem conséquitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur. Nullus, nisi per te, o honoratíssima, cui grátiæ munus

misericórdia præstétur. Quam ob rem, quis te beátam non prædicábit? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, te quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda : quam ob rem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus, gubérnat créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita : * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Absque.

Bened. Ignem.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativ. B. M. V., nº 6

Lectio vi

INTUÉRE, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cæléstí rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in María̋m. Ut quid hoc? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et quæréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vétito : dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium ; sed latet fórsitan áliud nec totum hoc est. Altius ergo intuémini quanto devotiónis affécctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María, ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affectibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se : * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël. ℣. Deus exaltávit me, ut salvos fácerem multos pópulos. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum, pro quo óbsecro.

Ant. 8 Benedícta es tu * præ ómnibus muliéribus super terram, quia subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Ant. 9 Domináre nostri, * tu, et Fílius tuus : quia liberásti nos de manu inimicórum nostrórum.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

In illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Quadrag. de christiana Religione, Sermo 51 de Pass. Dom., part. 2, art. 1, cap. 3

Pulsántur admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit ; sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier : sed super ángelos et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa nepótem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne. ℣. Virgo potens sicut turris David: mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Adjútrix.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo.

Scanné avec CamScanner

Lectio viii

SED in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum, ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda nec ex imitatióne, aut ex prolàta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus; ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

℞. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Ut. Glória Patri. Ut.

Pro S. Maria Magdelena de Pazzis Virgine :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

MARÍA Magdaléna, Floréntiæ illústri Pazziórum génere nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénnis perpétuam virginitátem vovit, susceptóque hábitu in monastério sorórum Carmelitárum, se ómnium virtútum exémplar præbuit. Adeo casta fuit, ut quidquid puritátem lædere posset, pénitus ignoráverit. Tanto igne divíni amóris æstuábat, ut, ei feréndo impar, ingésta aqua pectus refrigeráre cogerétur. Caritáte erga próximum excélluit; nam sæpe noctes ducébat insómnes, vel obeúndis sorórum ministériis, vel inserviéndo infírmis occupáta,

quarum aliquándo úlcera lambens sanávit. Illud frequénter in ore habébat: Pati, non mori. Tandem, diútino et gravi morbo exháusta, transívit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo séptimo, expléto ætátis suæ anno quadragésimo primo. Eam Clemens nonus sanctárum Vírginum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commemorati dicenda non sit, erit sequens

Lectio ix

MUTÁTUR hæc matérnitas, et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis. Proptérea natúra transit in grátiam, et grátia nobílitat profécto natúram; non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Heva corruptióne natúræ; bona múlier María, mater grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátiæ pro matre natúræ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per tradúcem natúræ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Benedictionem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

Pss. de Dominica.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Scanné avec CamScanner

Capit. Is. 55, 1

OMNES sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MARÍA, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida ;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cælis déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat ;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Et fit Com. S. Mariæ Magdalenæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da ; ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica; ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus.

In ℟. brevi ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Ecce gentem, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem.

Capit. Is. 55, 1

Omnes sitiéntes, venite ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

℟. br. Sub tuum præsídium * Omnes confúgimus. Sub tuum præsídium. ℣. Sancta Dei Génitrix. Omnes confúgimus. Glória Patri. Sub tuum præsídium.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias. ℟. In necessitátibus nostris.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas.

Capit. Is. 55, 2-3

Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Nostras deprecatiónes * Ne despícias. Nostras deprecatiónes. ℣. In necessitátibus nostris. Ne despícias. Glória Patri. Nostras deprecatiónes.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper. ℟. Virgo gloriósa et benedícta.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona.

Capit. Is. 55, 5

Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis * Líbera nos semper. A perículis cunctis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Líbera nos semper. Glória Patri. A perículis cunctis.

℣. Eja ergo, Advocáta nostra. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte.

Vesp. de sequenti, Com. præced.

Sicubi II Vesperæ B. M. V. Mediatricis integræ dicendæ sint, Ant., Pss., Capit., Hymnus et ℣. Ora pro nobis, ut in I Vesperis 13

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est ; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino.

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

PATRONÆ MINUS PRINCIPALIS GALLIÆ

Duplex II classis

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. ut in Communi Fest. B. Mariæ Virg.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Cap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

Stat cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et innocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet ;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna * virgo Aurelianénsis : hæc est,

Scanné avec CamScanner

quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente.

Oratio

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis tantum :

Ant. Salus nostra in manu tua est ; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Complet. de Dom.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

AURELIÁNI túrribus
Frustra premúntur hóstium :
Intrat Joánna : mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere !
Hunc voce amíca præmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat ;
Rursus nitéscunt Lília ;
Turmæ fugántur hóstium ;
Rhemos patéscit sémita.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,

Contra malum certántibus
Dona vigórem et præmium. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos.

Ant. 2 Veni, eléctа mea, * et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam.

Ant. 3 Accépit benedictiónem * a Dómino, et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Confitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et unxit me.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret.

Scanné avec CamScanner

Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℞. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque tecum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℞. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. 4 Propter veritátem * et mansuetúdinem, et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Ant. 5 Arcum cónteret, * et confrínget arma, et scuta combúret igni.

Ant. 6 Justítia et misericórdia * plena est déxtera tua.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℞. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Joánna de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati,

conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quinque annos Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt quómodo rem jussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Supérnis mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo quæ fíeri necésse esset suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum,

qui per manum féminæ fecit victóriam. Et facta est.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Capta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rotómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Románа Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Calísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sǽculo undevicésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis Puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in Beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in Sanctárum númerum rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis præsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si transíeris. Glória Patri. Si transíeris.

In III Nocturno

Ant. 7 Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Ant. 8 Annuntiavérunt * cæli justítiam ejus, et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. 9 Judicávit * in justítia, et pópulos in æquitáte.

Scanné avec CamScanner

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi
Cap. 16, 17

O beátum damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat nomen sanctum tuum in terra nostra. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo hóstia et sacrifícium. Fac, Dómine.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Quæ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famǽque títulos, aut véteres delicátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus : et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium,

terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Pro S. Felice I Papa et Mart. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

FELIX Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui, cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martýrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Si autem Festum transferatur nec adsit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

GRAVE onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut, cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus qui præsens corpóribus blandiebátur amítterent ; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent ; cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut, contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ ætérnitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

Pss. de Dominica.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum: sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

Hóstium victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.

Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis : Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.

Erigens longa pópulum ruína,
Mira fecísti, generósa virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt !

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :
Te Deus mittens, dabit ipse vires,
Atque corónam.

Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum.

Ad absolutionem Capituli :

Lectio br. Sap. 8, 13

Habébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum.

Capit. Propósui, ut supra ad Laud. 34

℟. br. Méritis et précibus * Beátæ Joánnæ. Méritis. ℣. Propitius esto, Dómine, pópulo tuo. Beátæ Joánnæ. Glória Patri. Méritis.

Scanné avec CamScanner

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis.

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis.

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus * Suscéptor meus. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Suscéptor meus. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam.

Capit. Sap. 8, 13

HABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, * Super caput ejus. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super caput ejus. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam.

IN II VESPERIS

Vesp. de seq. cum Com. S. Joannæ, ut infra.

Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo.

Oratio

DEUS, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Si transferatur festum S. Joannæ de Arc, Ant., Pss. et Capit. e I Vesperis ; Hymnus Salve, ut infra ; ℣. Méritis et Ant. ad Magnif. Joánna, sponsa Christi, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

Salve, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ !
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices,

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Filio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

Completorium de Dominica.

DIE 31 MAJI

DEDICATIO BASILICÆ METROPOLITANÆ

Duplex I classis cum Octava

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ præter ea quæ sunt propria.

In I Vesp. Commemoratio præcedentis tantum ut supra 36

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Inter ecclésias quas antíquitus plebis píetas et regum devótio Parísiis ædificávit, memorátur basílica sancti Petri sive sanctórum Apostolórum, quam Clodovéus rex et Clotíldis regína construxérunt, in qua ambo depósiti sunt et ipsa beáta Genovéfa est sepúlta. Memorátur étiam sancti Vincéntii basílica, cujus ædificatiónem Childebértus rex suscéperat et perfécit, et in qua sepúlcrum habebátur beáti Germáni epíscopi : item ecclésia sancti Juliáni,

ecclésia sanctórum Gervásii et Protásii, ecclésia sancti Lauréntii, quas sǽculo sexto Gregórius Turonénsis exstitísse testátur. Ab eódem memorátur basílica sancti Dionýsii, vidélicet ad corpus Protomártyris Parisiénsis, a Dagobérto rege póstea instauráta. Gregórius méminit et ecclésiæ cujúsdam in vico Parisiórum sitæ qui decúrsu témporum sancti Marcélli epíscopi nomen accépit, ubi sénior, inquit, ecclésia nuncupátur. In hac senióre ecclésia fuísse prímitus collocátam cáthedram episcopórum nostrórum, non imprúdens est senténtia, et in vico sancti Marcélli, ubi plura antiquitátis christiánæ vestígia invénta sunt, incunábula sua fidem nostram habuísse.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui, Deus, et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent, et da glóriam in loco isto. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte peccáta.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Tempóribus vero sanctæ Genovéfæ, quinto vidélicet sǽculo, in ínsula ipsíus civitátis baptistérium éxstitit, ubi tóties, suadénte Genovéfa, cives Parisiórum vigílias exercéntes, jejúniis et oratiónibus Deo vacavére. Et erat baptistérium hoc junctum ecclésiæ quam præfátus Gregórius Turonénsis ecclésiam sanctam núncupat : ibi sedísse epíscopos Parisiórum non est quod dubitémus. Jam a sǽculo saltem séptimo, compértum est hanc ecclésiam episcopálem nómine beátæ Maríæ Dei Genitrícis fuísse insignítam, et álteram habuísse sibi vicínam, a parte scílicet orientáli, sancto Stéphano Protomártyri dicátam. Ambæ várias vices habuére, donec Maurítius Sulléius, Parisiénsis epíscopus, ampliórem ecclésiam cathedrálem cœpit ædificáre, cui útraque locum cessit. Illíus primárium lápidem, anno millésimo centésimo sexagésimo tértio,

ipse Alexánder tértius Papa, qui tum Parísiis degébat, posuísse dícitur: post elápsos annos novémdecim, altáre majus Henrícus Sedis Apostólicæ legátus consecrávit. Mediánte demum sæculo tértio décimo, sub rege Ludovíco nono, totum opus perféctum est.

℟. O quam metuéndus est locus iste : * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Ecclésia nostra Cathedrális, a Gregório Papa décimo quinto in metropolitánam erécta est, et a Pio Papa séptimo Basílicæ minóris título exornáta. Ritu tamen solémnis consecratiónis sanctificáta non fúerat. Ideo, perácta illa refectióne quæ in decúrsu sæculi décimi noni suscépta est, ut ædifícium in formam prístinam restituerétur quam sive per injúriam annórum, sive per imperítiam hóminum, sive per furórem impiórum amíserat, ritus támdiu exspectátus non défuit. Anno enim millésimo octingentésimo sexagésimo quarto, die tricésima prima Maji, ecclésia beátæ Maríæ consecratiónis sanctificatiónem accépit ab archiepíscopo Parisiénsi, convocátis coepíscopis provínciæ, nec non plúribus aliárum Gálliæ ecclesiárum antistítibus.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Ad Laudes Com. S. Angelæ Mericiæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dñ.

FERIA V INFRA OCTAVAM SSMI CORDIS JESU

EUCHARISTICI CORDIS JESU

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Pss. ut in I Vesp. Festi Ssmi Corporis Christi.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

Hymnus

Cor dulce Jesu, quis tuum
In nos amórem flámmeum,
Quis dicat inde spléndida
Enáta nobis múnera?

Enárret hæc Apóstolus,
Cui ter beáto cóntigit
Super Magístri péctore
Cœnántis acquiéscere.

Optáta, Jesus díxerat,
Illúcet hora, víctimam
Qua sponte me, pro sóntibus
Vitam datúrus, ímmolem.

Ampléctar ultro víncula,
Flagélla, serta spínea,
Clavos, et ima péctoris
Transverberántem lánceam.

Sed próripit me lóngius
Amóris ardor; pérsequar,
Cælo recéptus, ínfimis
His immorári sédibus.

Sacris in aris, íntegner
Homo Deúsque cándida
Sub panis umbra délitens
Solábor Hevæ fílios.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Cœnántibus autem eis, * accépit Jesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait : Accípite, et comédite : hoc est corpus meum.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Non fit Com. Oct. Ssmi Cordis Jesu.

Complet. de Dom.

Conclusio Hymnorum erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui Corde fundis grátiam,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna sǽcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Cor Jesu sanctíssimam Eucharístiam nobis donans,* Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

COR dulce Jesu, Pábuli
Invéntor Eucharístici,
Salve, piásque súscipe
Ex orbe toto grátias.

O finis expers Cáritas,
Cui páruit poténtia
Intermináta, máximum
Ut éderet miráculum.

Nostris in aris óccupat
Divínus Hospes céllulam
Vel último mortálium
Noctes diésque pérviam.

Hinc gratiárum pérpetem
Effúndit Ille cópiam ;
Admíttit omnes, néminem
Abíre tristem sústinet.

Instrúxit et Convívium,
Dapémque nobis cǽlitem
Sui minístrat Córporis,
Suíque potum Sánguinis.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

Scanné avec CamScanner

In I Nocturno

Ant. 1 Quid est homo, * quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Psalmus 8

Dómine, Dómine noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra, * qui extulísti majestátem tuam super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium parásti laudem contra adversários tuos, * ut compéscas inimícum et hostem.

Cum vídeo cælos tuos, opus digitórum tuórum, * lunam et stellas quæ tu fundásti :

Quid est homo, quod memor es ejus ? * aut fílius hóminis, quod curas de eo ? —

Et fecísti eum paulo minórem Angelis, * glória et honóre coronásti eum ;

Dedísti ei potestátem super ópera mánuum tuárum, * ómnia subjecísti pédibus ejus :

Oves et boves univérsos, * ínsuper et pécora campi,

Vólucres cæli et pisces maris : * quidquid perámbulat sémitas márium.

Dómine, Dómine noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra !

Ant. Quid est homo, quod memor es ejus ? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Ant. 2 Mittit nobis Dóminus * auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Psalmus 19

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis, * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de Sancto, * et de Sion te susténtet.

Memor sit ómnium oblatiónum tuárum, * et holocáustum tuum hábeat gratum.

Tríbuat tibi quæ optat cor tuum, * et ímpleat omne consílium tuum.

Lætémur de victória tua, et in nómine Dei nostri extollámus vexílla ; * ímpleat Dóminus omnes petitiónes tuas ! —

Jam novi Dóminum tribuísse victóriam uncto suo, * exaudísse eum de cælo sancto suo fortitúdine victrícis déxteræ suæ.

Scanné avec CamScanner

Illi cúrribus et isti equis, * nos autem nómine Dómini, Dei nostri, fortes sumus.

Illi collápsi sunt et cecidérunt, * nos vero stamus et permanémus. —

Dómine, victóriam tríbue regi * et exáudi nos, quo die te invocámus.

Ant. Mittit nobis Dóminus auxílium de sancto : et de Sion tuétur nos.

Ant. 3 Misericórdia Dómini * subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

Psalmus 22

Dóminus pascit me : nihil mihi deest ; * in páscuis viréntibus cubáre me facit.

Ad aquas, ubi quiéscam, condúcit me ; * réficit ánimam meam.

Dedúcit me per sémitas rectas * propter nomen suum.

Etsi incédam in valle tenebrósa, * non timébo mala, quia tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus : * hæc me consolántur. —

Paras mihi mensam * spectántibus adversáriis meis ;

Inúngis óleo caput meum ; * calix meus ubérrimus est.

Benígnitas et grátia me sequéntur * cunctis diébus vitæ meæ.

Et habitábo in domo Dómini * in longíssima témpora.

Ant. Misericórdia Dómini subséquitur nos ómnibus diébus vitæ nostræ.

℣. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, allelúja. ℟. Implens cibo et lætítia corda nostra, allelúja.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Lectio i Cap. 1, 3-8

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum,

Scanné avec CamScanner

secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, in omni sapiéntia et prudéntia.

℟. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * Visitávit nos óriens ex alto. ℣. Quid est homo quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum Cor tuum? Visitávit nos.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 3, 14-21

Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sǽculi sæculórum.

℟. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, * Annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Cantáte ei et psállite ei: narráte ómnia mirabília ejus. Annuntiáte.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 4, 1-6

Obsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ.

Scanné avec CamScanner

Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis.

℟. Unus panis, unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos. Omnes. Glória Patri. Omnes.

In II Nocturno

Ant. 4 Quid bonum ejus * est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines?

Psalmus 41

Quemádmodum desíderat cerva rivos aquárum, * ita desíderat ánima mea te, Deus.

Sitit ánima mea Deum, Deum vivum : * quando véniam et vidébo fáciem Dei?

Factæ sunt mihi lácrimæ meæ panis die ac nocte, * dum dicunt mihi quotídie : « Ubi est Deus tuus? »

Illud recórdor et effúndo ánimum meum intra me : quómodo incésserim in turba, * præcésserim eos ad domum Dei,

Inter voces exsultatiónis et laudis, * in cœtu festívo.

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

In me ipso ánima mea deprímitur : * ídeo recórdor tui ex terra Jordánis et Hermon, ex monte Misar.

Gurges gúrgitem vocat cum fragóre cataractárum tuárum : * omnes fluctus et undæ tuæ super me transiérunt.

Per diem largiátur Dóminus grátiam suam, * et nocte canam ei, laudábo Deum vitæ meæ.

Dico Deo : Petra mea, cur oblivísceris mei? * Quare tristis incédo, ab inimíco oppréssus?

Ossa mea frangúntur, dum insúltant mihi adversárii mei, * dum dicunt mihi quotídie : « Ubi est Deus tuus? »

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me?

Scanné avec CamScanner

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Ant. Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vínum gérminans vírgines ?

Ant. 5 Audíte, * audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Psalmus 83

Quam diléсta habitátio tua, Dómine exercítuum! * desíderat, languens concupíscit ánima mea átria Dómini ;

Cor meum et caro mea * exsúltant ad Deum vivum.

Etiam passer invénit domum, * et hirúndo nidum sibi, ubi ponat pullos suos :

Altária tua, Dómine exercítuum, * rex meus et Deus meus ! —

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, * perpétuo laudant te.

Beátus vir, cujus auxílium est a te, * cum sacra itínera in ánimo habet :

Transeúntes per vallem áridam, fontem fácient eam, * ac benedití ónibus véstiet eam plúvia prima.

Procédent de róbore in robur ; * vidébunt Deum deórum in Sion.

Dómine exercítuum, audi oratiónem meam ; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Clýpeus noster, áspice, Deus, * et réspice fáciem uncti tui.

Vere, mélior est dies unus in átriis tuis * quam álii mille ;

Consístere malo in límine domus Dei mei, * quam morári in tabernáculis peccatórum.

Nam sol et clýpeus est Dóminus Deus : * grátiam et glóriam largítur Dóminus,

Non negat bona eis * qui ámbulant in innocéntia.

Dómine exercítuum, * beátus homo qui confídit in te.

Ant. Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra.

Ant. 6 Non esúrient, * neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

Psalmus 86

Fundatiónem suam in móntibus sanctis díligit Dóminus: * portas Sion

magis quam ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa prædicántur de te, * cívitas Dei! —

Accensébo Rahab et Babel coléntibus me : * ecce, Philistǽa et Tyrus populúsque Æthíopum : hi nati sunt illic.

Et de Sion dicétur : « Virítim omnes sunt nati in ea, * et ipse firmávit eam Excélsus ». —

Dóminus scribet in libro populórum : * « Hi nati sunt illic ».

Et cantábunt, dum chorum ducent : * « Omnes fontes mei sunt in te ».

Ant. Non esúrient, neque sítient ámplius, quóniam Agnus dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Alfónsi Maríæ Epíscopi

Ex Novendiali

Lectio iv

O si nobis datum esset amórem comprehéndere, qui in Corde Jesu ardet erga nos! Adeo nos diléxit, ut, si omnes hómines, ángeli et sancti vires suas ad amándum conjúngerent, ne millésimam quidem partem attíngerent dilectiónis, qua ipse nos compléctitur. Jesu amor nostrum erga nosmetípsos amórem in imménsum súperat; præter omnem modum nos diléxit : Dicébant excéssum ejus quem completúrus erat in Jerúsalem. Deus cum sit, perpétua nos caritáte diléxit, ita ut nullum fúerit ab ætérno moméntum quo de nobis non cogitárit et unumquémque nostrum non amáverit : Caritáte perpétua diléxi te. Amóre nostri homo factus, vitam ærúmnis plenam mortémque crucis sibi elégit, nostram felicitátem próprio honóri, própriis cómmodis, própriæ vitæ præpónens omnibúsque renúntians ad suum nobis amórem demonstrándum. Hæc autem nonne caritátem produnt in excéssu proruéntem, qui ángelos et cǽlites omnes per totam stupefácient æternitátem.

℟. In dilectióne sua, et indulgéntia sua Dóminus redémit pópulum suum,

Scanné avec CamScanner

et portávit eos,* Et elevávit eos cunctis diébus sæculi. ℣. Expándit alas suas atque portávit in húmeris suis. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

IDEM ille amor cómpulit eum ut nobíscum permanéret in Sanctíssimo Sacraménto tamquam in régio caritátis sólio. Ibi enim degit sub spécie panis, tabernáculo inclúsus, sua majestáte spoliátus, immóbilis et sénsuum usu destitútus, ita ut nihil ibi ágere videátur quam hómines dilígere. Amor perpétuam præséntiam vult amáti, et ídeo Dóminus Jesus remánsit nobíscum in Sanctíssimo Sacraménto. Amantíssimo Salvatóri nimis breve visum est per solos trigínta tres annos cum homínibus in terra commorári, et proptérea ad expléndum desidérium suum perpétuo nobíscum permanéndi, necésse ipsi visum est máximum ómnium operári miráculum et institúere Sanctíssimæ Eucharístiæ Sacraméntum. Jam peráctum erat opus redemptiónis, jam Deo reconciliáti erant hómines ; ad quid ergo in hoc Sacraménto remánsit Dóminus? Remánsit, quia suum a nobis discéssum Cor ejus ferre non póterat, testátus suas delícias esse nobíscum. Quinímmo amor ille ímpulit eum ut étiam cibus animárum nostrárum fíeret, ut nobis se uníret, ut de córdibus nostris deque suo quasi una res fíeret : Qui mandúcat meam carnem in me manet et ego in eo. O prodígium stupéndum, o excéssum caritátis Dei erga nos!

℟. Jesus cum dilexísset suos, qui erant in mundo,* In finem diléxit eos. ℣. Sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit. In finem.

Bened. Ignem.

Lectio vi

E CORDE Jesu amantíssimo ómnia quidem Sacraménta prodiérunt, potíssimum tamen inde procéssit Sacraméntum amóris, quo Ipse nobis esset vitæ sócius, ánimæ cibus, sacrifícium infiníti valóris.

Scanné avec CamScanner

— Hæc adoránda Cordis adinvéntio summíque amóris demonstrátio jure mérito peculiári cultu recolénda est populísque prædicánda, his nostris præsértim refrigescéntis caritátis tempóribus. Id agnovérunt complúres per orbem sacrórum Antístites qui pietátem erga Eucharísticum Cor Jesu ubíque propagándam curárunt. Hinc Leo Papa décimus tértius várias preces in ejúsdem Eucharístici Cordis Jesu honórem Indulgéntiis ditávit et Archisodalitátem sub præfáto título in ecclésia sancti Jóachim in Urbe eréxit. Benedíctus autem décimus quintus, Póntifex máximus, devotiónem erga Cor Jesu, Sanctíssimum Eucharístiæ nobis pródigens Sacraméntum, probávit. Quo vero salutáris hæc píetas ulterióra accíperet increménta, et uberióres in fidélibus prodúceret fructus, idem summus Póntifex Offícium et Missam própriam in honórem Eucharístici Cordis Jesu concéssit.

℟. Dóminus noster Jesus Christus diléxit nos et dedit consolatiónem ætérnam * Et spem bonam in grátia. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino: et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. 7 Tóllite hóstias * et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Psalmus 95

CANTÁTE Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino, omnes terræ.

Cantáte Dómino, benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salútem ejus.

Enarráte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus. —

Nam magnus est Dóminus et laudándus valde, * timéndus magis quam omnes dii.

Nam omnes dii géntium sunt figménta; * Dóminus autem cælos fecit.

Majéstas et decor præcédunt eum; * poténtia et splendor sunt in sede sancta ejus. —

Scanné avec CamScanner

Tribúite Dómino, famíliæ populórum, tribúite Dómino glóriam et poténtiam; * tribúite Dómino glóriam nóminis ejus.

Offérte sacrifícium et introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in ornátu sacro.

Contremísce coram eo, univérsa terra; * dícite inter gentes : Dóminus regnat.

Stabilívit orbem, ut non moveátur : * regit pópulos cum æquitáte. —

Læténtur cæli, et exsúltet terra; ínsonet mare et quæ illud implent; * géstiat campus et ómnia quæ in eo sunt.

Tum gaudébunt omnes árbores silvæ coram Dómino, quia venit, * quia venit régere terram.

Reget orbem terrárum cum justítia, * et pópulos cum fidelitáte sua.

Ant. Tóllite hóstias et introíte in átria ejus : adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Ant. 8 Introíbo * ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Psalmus 42

Jus redde mihi, Deus, et age causam meam advérsus gentem non sanctam; * ab hómine dolóso et iníquo líbera me,

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? quare tristis incédo, ab inimíco oppréssus?

Emítte lucem tuam et fidelitátem tuam : ipsæ me ducant, * addúcant me in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum lætítiæ et exsultatiónis meæ,

Et laudábo te cum cíthara, * Deus, Deus meus!

Quare deprímeris, ánima mea, * et tumultuáris in me?

Spera in Deum : quia rursus celebrábo eum, * salútem vultus mei et Deum meum.

Ant. Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Ant. 9 Per Jesum offerámus * hóstiam laudis semper Deo.

Scanné avec CamScanner

Psalmus 149

Cantáte Dómino cánticum novum; * laus ejus sonet in cœtu sanctórum.

Lætétur Israël de factóre suo, * fílii Sion exsúltent de rege suo.

Laudent nomen ejus choro, * týmpano et cíthara psallant ei,

Quia Dóminus díligit pópulum suum, * et húmiles victória ornat.

Exsúltent sancti de glória, * læténtur in cubílibus suis. —

Præcónia Dei sint in gútture eórum, * et gládii ancípites in mánibus eórum :

Ut fáciant vindíctam in géntibus, * castigatiónes in pópulis;

Ut álligent reges eórum compédibus, * et nóbiles eórum mánicis férreis;

Ut fáciant de eis judícium præstitútum : * hoc glóriæ est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Per Jesum offerámus hóstiam laudis semper Deo.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 22, 15-20

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 46 in Joann.

Non solum per dilectiónem, sed étiam reípsa cum carne Christi commiscémur; per cibum scílicet, quem dedit nobis in demonstratiónem amóris, quo erga nos fervet. Ideo quippe se nobis commíscuit et in unum redégit, ut unum simus quasi corpus conjúnctum cápiti; ardéntis enim amóris hoc est. Quod subíndicat Job de servis suis dicens eos sic eum amásse ut carni ejus admiscéri peroptárent, dicéntes : Quis det nobis de cárnibus suis ut saturémur? Hoc Christus reápse fecit, ad majórem dilectiónem nos próvocans et suum nobis demónstrans amórem.

Scanné avec CamScanner

Neque enim ipsum concupiscéntibus se vidéndum modo præbuit, sed étiam tangéndum, comedéndum, déntibus teréndum, commiscéndum, omne implens desidérium.

℟. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * Et mirabília ejus fíliis hóminum. ℣. Et sacríficent sacrifícium laudis : et annúntient ópera ejus in exsultatióne. Et.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

Ab illa ergo mensa recedámus tamquam leónes ignem spirántes, diábolo terríbiles, cogitántes quale sit caput nostrum et quantam nobis dilectiónem exhibúerit. Paréntes quidem áliis sæpe líberos suos tradunt aléndos : ego vero, inquit, cárnibus meis própriis vos alo, meípsum vobis appóno, omnes vos nóbiles esse volens, et bonam de futúris spem ásferens. Nam qui in hac vita meípsum vobis trádidi, multo magis in futúra hoc fáciam. Vólui frater vester fíeri, commúnem vobíscum assúmens carnem et sánguinem : vicíssim trado vobis carnem et sánguinem, quibus cóngener factus sum vobis.

℟. Ab ortu solis usque ad occásum * Magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur et offértur nómini meo oblátio munda. Magnum est. Glória Patri. Magnum est.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Sanguis Christi régium nobis ímprimit charactérem, incredíbilem parit pulchritúdinem, ánimæ nobilitátem consérvat, virtútem magnam infúndit. Digne recéptus dæmones procul pellit, ángelos vero ádvocat : dæmones enim fúgiunt ubi vident sánguinem domínicum, accúrrunt vero ángeli. Hic sanguis salus animárum nostrárum est : eo ablúitur ánima, ornátur, incénditur ; mens rédditur igne splendídior et ad cælum elevátur. Cogitémus ítaque quibúsnam nos Deus dignátus sit donis, grátias agámus et glóriam referámus non solum per fidem sed étiam per ópera,

Scanné avec CamScanner

ut futúra consequámur bona grátia et benignitáte Dómini nostri Jesu Christi, cui cum Patre glória, una cum Spíritu Sancto nunc et semper et in sǽcula sæculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Pss. de Dominica.

2 Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

3 Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

4 O quam bonus * et suávis est, Dómine, spíritus tuus, allelúja.

5 Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit.

Hymnus

E Corde Jesu pródiit
Oblátio quam Gólgotha
Vidit semel, quam míllies
Nunc ínnovant altária.

O digna cælis Hóstia
Qua laus suprémo Númini
Defértur æqua, cóncipi
Ut nulla possit ámplior!

Dignas et Ipse grátias
Nostro rependit nómine
Ob dona, quæ divínitus
Imménsa nobis áffluunt.

Ac, deprecátor, víndicem
Exármat iram júdicis,
Dum nostra delet crímina,
Suo rigáta Sánguine.

Exórat omnem dénique
Nobis bonórum cópiam ;
Ac dives ipse, dívite
A Patre quævis, ímpetrat.

Cor dulce Jesu, múnera
Tot unde nobis prófluunt,
Fac nostra te medúllitus
Amáre discant péctora.
Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Sciens Jesus * quia venit hora ejus ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Ad Horas Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Desidério desiderávi * hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

In ℟. brevi, ℣. Qui Corde fundis grátiam.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Lauda, fília Sion, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Veníte, * comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

Capit. Ephes. 3, 8-9

Fratres : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. br. De bono thesáuro Cordis sui profert bonum, * Allelúja, allelúja. De bono thesáuro. ℣. Implens cibo et lætítia corda nostra. Allelúja, allelúja. Glória Patri. De bono thesáuro.

℣. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, allelúja. ℟. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. Caro mea * vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Capit. Is. 66 12,

Hæc dicit Dóminus : Ecce ego declinábo super Jerúsalem quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem, glóriam géntium, quam sugétis : ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ, * Allelúja, allelúja. Inebriabúntur. ℣. Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriabúntur.

℣. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, allelúja. ℟. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur, allelúja.

AD NONAM

Ant. Lætábor * super pópulo meo cum bene eis fécero in toto corde meo, et in tota ánima mea.

Capit. Sophon. 3, 14 et 15

LAUDA, fília Sion : júbila, Israël : lætáre et exsúlta in omni corde, fília Jerúsalem : Rex Israël Dóminus in médio tui.

℟. br. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, * Allelúja, allelúja. Inebriábo. ℣. Et pópulus meus bonis meis adimplébitur. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Inebriábo.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Vesperæ de seq. die Octava Ssmi Cordis Jesu, sine Com. præced.

¶ Si vero contigerit dici II Vesperas Eucharistici Cordis Jesu, tunc Ant. et Capit. erunt de Laud.; Pss. ut in I Vesperis Festi Ssmi Corporis Christi, Hymnus, ℣. et Ant. ad Magnif. ut sequitur.

Hymnus

INSIDENS nostris permánter aris,
Christus imménsis ópibus redúndat :
Hosque thesáuros avet in redémptas
Fúndere gentes.

O inexháustum pélagus bonórum
Némini clausum, refluúmque late !
Hinc tibi veras, homo, nec cadúcas
Cóllige gazas.

Huc veni, quisquis pietáte ferves
Quique fervórem cupis auctiórem ;
Flámmeum Jesu tibi Cor novéllos
Ingeret ignes.

Huc veni, frigens et iners amátor ;
Ara te, Christi latitántis aula,
Coget impénsis stúdiis
Amántem
Rursus amáre.

Huc veni tandem veniámque supplex
Posce, peccátor : lácrimas ciébit
Uberes Jesus, quibus atra tergas
Crímina vitæ.

Sint tibi juges, Trias alma, grates
Exsules quæ nos réficis supérno
Férculo, donec sátiet perénnis
Cœna beátos.
Amen.

℣. Cáritas Christi urget nos, allelúja. ℟. Ad redamándum Cor suum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce ego * vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sæculi : dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui divítias amóris tui erga hómines effúndens, Eucharístiæ Sacraméntum condidísti : da nobis, quǽsumus ; ut amantíssimum Cor tuum dilígere, et tanto Sacraménto digne semper uti valeámus : Qui vivis.

Completorium de Dominica.

FESTA JUNII

DIE 1 JUNII

II INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Semiduplex

Invit. et Hymn. ut in Festo.

Ant. et Pss. de Fer.

In I Noct., Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. e die II infra Oct. ut in Comm.

Ad Laudes et Vesp. Ant. et Pss. e Fer. ; Capit. et reliqua de Comm. Dedicat.

In II Vesp. Commemoratio Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellini,

Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas: præsta, quǽsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

DIE 2 JUNII

III INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Semiduplex

Omnia ut heri.

In I Noct., Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. e die III infra Oct. ut in Comm.

Pro Ss. Marcellino, Petro atque Erasmo :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Petrus exorcísta, Diocletiáno imperatóre, Romæ, a Seréno júdice propter christiánæ fídei confessiónem missus in cárcerem, Paulínam, Artémii qui cárceri præerat fíliam, a dæmone agitátam liberávit. Quo facto et paréntes puéllæ cum tota família, et vicínos, qui ad rei novitátem concúrrerant, Jesu Christo conciliátos ad Marcellínum presbýterum addúxit, a quo omnes baptizáti sunt. Quod ubi rescívit Serénus, Petrum et Marcellínum aspérius objúrgat, minas adjúngens, nisi Christo renúntient. Cui cum Marcellínus christiána libertáte respondéret, illis graves pœna infligúntur. Sed cum utríque ex torméntis fides et ánimus crésceret, ambo constánti confessióne,abscísso cápite, illústre testimónium Jesu Christo dedérunt. Erásmus epíscopus, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, in Campánia, duríssima supplícia passus, inde tamen ínteger evásit. Quo miráculo multi se ad Christi fidem convertérunt. Verum is íterum detrúsus in cárcerem, constríctus férreis vínculis, inde ab Angelo mirabíliter eréptus est. Deínde Fórmiis a Maximiáno váriis affécctus supplíciis, illa étiam torménta divína virtúte superávit. Dénique plúrimis et in fide confirmátis, et ad fidem convérsis, insígnem martýrii palmam adéptus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Com. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas : præsta, quǽsumus ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Vesp. de seq., Com. Oct.

DIE 3 JUNII

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. Mulíerem et Hymnus Fortem de Communi non Virg.

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine. ℟. Et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia * pópuli nostri ; quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti ; per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. Dedicationis :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta ; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Clotíldis Chilperíci regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico, ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit ; et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

At regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhǽsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus fidem edóctus, baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi Túrones ádiit Clotíldis ; ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit,

Scanné avec CamScanner

pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a févos Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sǽculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deínde, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Noct., Homilia in Evang. Símile est... thesáuro..., de Comm.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Clotíldis, Chilperíci regis fília, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Primogénito post baptísmum mórtuo, objurgávit Clotíldem Clodovéus ásserens

Scanné avec CamScanner

deos pátrios irátos sibi fílium eripuísse. Attamen álterum fílium regína cum genuísset, hunc vóluit quoque baptizári, qui cum ægrotáre cœpísset, matris précibus conváluit. Hæc non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Tunc Clodovéus, in expeditióne Alamánnica auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit et a Remígio fidem edóctus baptizátus est. Post mortem Clodovéi Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, et in vigíliis, eleemósynis et piis opéribus inténta, plena diérum, migrávit ad Dóminum. Ejus corpus Parísios translátum sepúltum est ad latus Clodovéi in sacrário basílicæ sancti Petri, quæ póstea sanctæ Genovéfæ appelláta est. Post perturbatiónem sæculi décimi octávi, relíquiæ repósitae fuérunt in nova theca et in ecclésiam sanctórum Lupi et Ægídii urbis Parisiénsis collátæ, ubi nunc honorífice colúntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset * Clotíldis ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis.

Oratio

RÉSPICE, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti : per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. :

Ant. Zachǽe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incolúmes : exáudi preces pópuli tui, et præsta : ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capit. de S. Francisco Caracciolo, Com. præced. :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum.

℣. Anima mea Dómino vivet. ℟. Et semen meum sérviet ipsi.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti : per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum.

Et fit Commemoratio Octavæ :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. ℟. In longitúdinem diérum.

Oratio Deus, qui, ut supra.

DIE 4 JUNII

In Festo sancti Francisci Caracciolo

V INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

COMMEMORATIO

Ad Laudes Ant. Zachǽe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Oratio Deus, qui, ut supra.

Ad Vesp. Com. Octavæ, ut supra.

Scanné avec CamScanner

DIE 5 JUNII

In Festo sancti Bonifatii

VI INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

COMMEMORATIO

Ad Laud. et Vesp. Com. Oct., ut supra 62

DIE 6 JUNII

In Festo sancti Norberti

VII INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

COMMEMORATIO

Ad Laud. Com. Oct., ut supra.

Vesp. de seq., Com. S. Norberti, ut infra.

DIE 7 JUNII

OCTAVA DEDICAT. BASILICÆ METROPOL.

Duplex majus

In I Vesp. Ant. et Pss. e Fer.

Capit. et reliqua ut in I Vesp. Festi.

Com. S. Norberti :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Norbértum Confessórem tuum atque Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : præsta, quǽsumus ; ut, ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

Ad Matut. Invit. et Hymn. ut in Festo.

Ant. et Pss. e Feria.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. de Comm. ut in die Oct.

Ad Laud., Horas et Vesp. Ant. et Pss. e Feria.

Capit. et reliqua de Comm. Dedicat.

DIE 10 JUNII

SANCTI LANDERICI

EP. ET CONF.

Duplex

Capit. Ecce sacérdos, et Hymn. de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Scanné avec CamScanner

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Deus, qui beátum Landerícum Confessórem tuum atque Pontíficem misericórdiæ viscéribus implevísti : quǽsumus ; ut quem páuperum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Margarítæ Reginæ, Vid. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréndi bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da ; ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Landerícus sub Clodovéo secúndo apostólicis virtútibus et méritis cáthedram Parisiénsem decorávit. Cum enim ab ipsa fere pueritia Christo sese totum dedísset, obque spirántem religiónis ánimum clero adscríptus, tam morum quam doctrínæ præstántia ómnibus præeminéret, Audobérto succéssor ómnium votis datus est. Quo auctus honóre, non tam delátæ dignitátis decus quam suscépti óneris offícium considerávit. Dei et próximi incénsus amóre, sic Ecclésiæ suæ regéndæ incúbuit, ut néutiquam sua cómmoda, sed divínam glóriam et commíssi sibi gregis salútem per ómnia quæsíerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Scanné avec CamScanner

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

In tantum erga páuperes misericórdiæ afféctu flagrábat pius epíscopus, ut, dira annónæ penúria pópulum affligénte, primum omnem privátam supelléctilem in egéntium subsídia expénderit; deínde ipsa vasa sacra confrégerit, ut Christi membra refocilláret. Nam egéntium greges eódem témpore pius pater pascébat própria manu, erogáta síngulis panis alimónia, seu ope ália impertíta. Caritátis fervóre flagrans, ut infírmis étiam opitularétur, nosocomíum juxta cathedrálem ecclésiam sanctæ Maríæ ædificávit, et censu quo pótuit dotávit. Tandem gloriósus antístes, clarus omni sanctitátis splendóre, in cælum evolávit; conditúsque ad sancti Germáni Antissiodorénsis basílicam, plúrimis coruscávit divínæ glóriæ signis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Post multos annos, Mauritius Sulléius epíscopus Landeríci corpus in capsa lígnea cóndidit; quam vetustáte consúmptam reserávit Petrus d'Orgemont alter Parisiórum epíscopus, reperítque in ea, cum óssibus et púlvere córporis, vestiméntis et linteamínibus, schedam in hæc verba conscríptam : Hæc sunt ossa beatíssimi Landeríci, Parisiénsis epíscopi, sic repósita a Maurítio, Parisiénsi epíscopo, et Remígio hujus ecclésiæ decáno; sed et duas álias schédulas, quarum vetústior et pene corrósa hæc verba continébat : Sancti Landeríci epíscopi. Petrus ossa duo distrácta ecclésiæ parochiáli sancti Landeríci donávit, cétera vero in capsa argéntea repósuit, et pone majus altáre, hábita solémni processióne, collocávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno, Homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

Pro S. Margarita :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Margaríta, ex régia Anglórum stirpe in Hungária nata, post exáctam summa cum pietáte puerítiam, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo, Anglórum rege, ad patérni regni fastígium vocabátur, in Angliam, dein in Scótiam venit. Ibi, cum ex matris império Scotórum regi Malchólmo tértio nupsísset, sanctimóniæ et pietátis opéribus annis trigínta toti regno prófuit. Máxima erat in ea vitæ austéritas et flagrantíssimum erga próximos caritátis stúdium, præsértim in egénos; pro quibus aléndis, non semel exháusit ærárium. Demum acérbis dolóribus et diutúrno morbo patientíssime tolerátis, ánimam Deo réddidit quarto Idus Júnii. Quo témporis moménto fácies ejus, mácie ac pallóre fœdáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Cleméntis décimi auctoritáte in Scótiæ patrónam accépta, ubíque terrárum religiosíssime cólitur.

Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Landeríсus, sub Clodovéo secúndo apostólicis virtútibus et méritis cáthedram Parisiénsem decorávit. Dei et próximi incénsus amóre, clero adscríptus fuit. Audobérti succéssor eléctus, ita ecclésiæ suæ regéndæ incúbuit, ut divínam glóriam et commíssi sibi gregis salútem per ómnia quæsíverit. Tanta erga páuperes misericórdia pius afficiebátur epíscopus, ut,

dira annónæ penúria pópulum affligénte, omnem privátam supelléctilem in egéntium subsídia expénderit. Caritáte fervens, ut infírmis étiam opitularétur, nosocomíum juxta cathedrálem ecclésiam sanctæ Maríæ ædificávit et quo pótuit censu dotávit. Tandem sanctitáte clarus, in cælum evolávit; conditúsque fuit ad sancti Germáni Antissiodorénsis basílicam. Post multos annos, Maurítius epíscopus Landeríci corpus in capsa lígnea cóndidit, et post plúrimos annos alter epíscopus Petrus in theca argéntea idem corpus repósuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui beátum Landerícum Confessórem tuum atque Pontíficem misericórdiæ viscéribus implevísti: quǽsumus; ut quem páuperum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. (Per Dóminum.)

Et fit Com. S. Margaritæ :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti: da; ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Vesp. de S. Barnaba Apost., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Deinde S. Margaritæ :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem,

Scanné avec CamScanner

et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da; ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

DIE 22 JUNII

In Festo sancti Paulini

BEATI INNOCENTII V

PAPÆ ET CONF.

COMMEMORATIO

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Oratio

Deus, qui beátum Innocéntium Confessórem atque Pontíficem, sciéntiæ ac prudéntiæ donis decorátum, pacis et unitátis conciliatórem effecísti : ejus intercessióne nobis concéde cæléstia sápere et ómnia bona concórdi stúdio sectári. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Innocéntius Papa quintus, natióne Burgúndus, prius Petrus de Tarantásia dictus, sedit anno Dómini millésimo ducentésimo septuagésimo sexto. Hic a pueritia in Ordinem Fratrum Prædicatórum ingréssus, doctor in sacra Scriptúra exímius effícitur. In cœnóbio Parisiénsi sui Ordinis, per annos ferme trigínta exsístens, sanctitátis atque doctrínæ culmen ascéndit. Ibídem theológicas discíplinas tradit. Demum in archiepíscopum Lugdunénsem et post in cardinálem et epíscopum Ostiénsem, tandem in summum Pontíficem assúmitur. Hic, dum Gregórii décimi, decessóris magnánimi, consília prósequi in ánimo habet, morte prævéntus obit Romæ, ab electióne sua mense sexto, et in ecclésia Lateranénsi sepelítur. Multis in vita et post mortem miráculis cláruit. Cultum beáto Pontífici

sine intermissióne tribútum Leo Papa décimus tértius, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, ratum hábuit et confirmávit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra 68

DIE 27 JUNII

De IV die infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ

SS. AGOARDI, AGLIBERTI ET SOC.

MARTYRUM

COMMEMORATIO

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Agoárdi, Aglibérti et Sociórum temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et quod votis célebrat, comprehéndat effectu. Per Dñ.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Agoárdus et Aglibértus a beátis Altíno et Eoáldo, cum magna virórum ac mulíerum multitúdine in fide erudíti sunt et baptizáti apud Christólium, Parisiórum vicum. Ambo divítiis et génere præpolléntes, ad Evangélii fructus hinc et inde, máxime vero Christólii, faciéndos, verbo et exémplo incumbébant. Christum ibídem fórtiter conféssi sunt, templúmque idolórum vetustíssimum destruxérunt. Quod cum pervulgátum esset, civitátis præféctus lictóres misit, qui cum ingénti horum fidélium número Christi athlétas trucidárunt, eórum córpora pauci qui carníficum manus eváserant Christiáni,

pie colligéntes, sepeliérunt in loco ipso martýrii, ubi póstea erécta est basílica in qua etiámnum érutæ e túmulis relíquiæ débito honóre colúntur. Jure quidem et mérito, juxta Usuárdum, cujus verba in Martyrológio Románo hac die reperiúntur : In território Parisiénsi, in vico Christólio, pássio sanctórum Mártyrum Agoárdi et Aglibérti cum áliis innúmeris promíscui sexus. Hos Mártyres, ut suas in fide oblátas Deo primítias, laudat et célebrat Ecclésia Parisiénsis.

Ad Laud. Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubilíbus suis.

Oratio

PRÆSTA, quǽsumus, omnípotens Deus, ut sicut pópulus christiánus Mártyrum tuórum Agoárdi, Agliberti et Sociórum temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna ; et quod votis célebrat, comprehéndat efféctu. Per Dóminum.

FESTA JULII

DIE 4 JULII

COMMEMORATIO OMNIUM SANCTORUM ROMANÆ ECCLESIÆ SUMM. PONTIFICUM

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui,* Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. ut in I Vesp. de Communi App.

2 In cæléstibus regnis* sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus et ánimæ * justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúja.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Hebr. 13

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

Rex glorióse Præsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia :

Aurem benígnam protinus
Appóne nostris vócibus :
Trophæa sacra pángimus :
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martýribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Exáltent eos in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eos.

Ad Magnif. Ant. Sacerdótes Dei, * benedícite Dóminum ; servi Dómini, hymnum dícite Deo, allelúja.

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris ; da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ ; ut de profectu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem.

Deinde Com. Oct. Ss. Apostolorum :

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum ; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

Scanné avec CamScanner

AD MATUTINUM

Invit. Christus Príncipem Pastórum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Et glóriam Pontíficum,
Laudes canéntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum Príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas,
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius;
Cælum replétur gáudio.

Te nunc, Redémptor, quǽsumus,
Ut ipsórum consórtio
Jungas precántes sérvulos,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

In tribus Noct., Ant., Pss. et ℣℣. de Communi Apost.

In I Nocturno

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Ecclesiástici

Lectio i — Cap. 44

Laudémus viros gloriósos et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte et prudéntia sua prǽditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina Scripturárum.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Estóte ergo.

Scanné avec CamScanner

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

HÓMINES dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes : pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum : et sunt quorum non est memória : periérunt quasi qui non fúerint ; et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde : * Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

SED illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt : cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum ; et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent ; semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini : * Dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini : sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. enim Dábitur enim. Glória Patri. Dábitur enim vobis.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Festo sancti Malachiæ Episcopi

Lectio iv

CONGRATULÉMUR, fratres, congratulémur, ut dignum est, Pontifícibus nostris : quia et pium est defúnctos plángere, et pium magis congaudére viventibus.

Numquid non vivunt? Et beáte. Nimírum visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace. Dénique jam concíves sanctórum et doméstici Dei psallunt páriter et grátias agunt, dicéntes : Transívimus per ignem et aquam, et eduxísti nos in refrigérium. Transivérunt plane viríliter, et felíciter pertransiérunt. Transivérunt per ignem et aquam, quos neque tristítia frángere, nec detinére móllia potuérunt.

℟. Vidi conjúnctos viros, habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volántem per médium cælum, voce magna clamántem et dicéntem. Isti sunt.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Lætémur quod Pontífices nostri ascendérunt ad cives suos, pro fíliis captivitátis legatióne fungéntes, corda nobis conciliántes beatórum, vota illis intimántes miserórum. Lætémur, inquam, et exsultémus, quia cæléstis illa cúria ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos prótegant méritis quos informavérunt exémplis, miráculis confirmavérunt. Sancti Pontífices, qui in spíritu humilitátis hóstias pacíficas cælis frequénter invéxerant, per semetípsos introivérunt ad altáre Dei, ipsi hóstiæ et sacerdótes.

℟. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me : * Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. ℣. Cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Benedíctus Dóminus Deus, qui tantórum Pontíficum ministério visitávit plebem suam; et nunc assúmptis iis in sanctam civitátem, tantæ recordatióne suavitátis nostram non désinunt consolári captivitátem.

Exsúltent in Dómino eórum spíritus, quod leváti póndere corpóreæ molis, nulla jam fæculénta vel terréna matéria prægravántur, quóminus tota alacritáte ac vivacitáte corpóream omnem et incorpóream transeúntes creatúram, pergant toti in Deum, et adhæréntes illi, unius sint cum eo spíritus in ætérnum. Domum istam decet sanctitúdo, in qua tantæ frequentátur memória sanctitátis.

℟. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes jussa príncipum, meruérunt præmia ætérna : * Modo coronántur et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Modo. Glória Patri. Modo.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 16

In illo témpore : Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens : Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis ? Et réliqua.

Homilía sancti Leónis Papæ

Sermo 2 in Anniv. assumptionis suæ

Cum sicut Evangélica lectióne reserátum est, interrogásset Dóminus discípulos, quem ipsum (multis divérsa opinántibus) créderent, respondissétque beátus Petrus, dicens : Tu es Christus Fílius Dei vivi ; Dóminus ait : Beátus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam ; et tibi dabo claves regni cælórum : et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis ; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis. Manet ergo dispositio veritátis, et beátus Petrus in accépta fortitúdine petræ persevérans, suscépta Ecclésiæ gubernácula non relíquit.

Scanné avec CamScanner

℟. Amávit eos Dóminus, et ornávit eos : stolam glóriæ índuit eos, * Et ad portas paradísi coronávit eos. ℣. Induit eos Dóminus loricam fídei, et ornávit eos. Et.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

In universa namque Ecclésia, Tu es Christus Fílius Dei vivi quotídie Petrus dicit : et omnis lingua quæ confitétur Dóminum, magistério hujus vocis imbúitur. Hæc fides diábolum vincit, et captivórum ejus víncula dissólvit. Hæc érutos mundo ínserit cælo, et portæ ínferi advérsus eam prævalére non possunt. Tanta enim divínitus soliditáte muníta est, ut eam neque hærética umquam corrúmpere právitas, nec pagána potúerit superáre perfídia.

℟. Isti sunt, qui ante Deum magnas virtútes operáti sunt, et omnis terra doctrína eórum repléta est : * Ipsi intercédant pro peccátis ómnium populórum. ℣. Isti sunt, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad cæléstia regna. Ipsi. Glória Patri. Ipsi.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

His ítaque modis, dilectíssimi, rationábili obséquio celebrátur hodiérna festívitas, ut in persóna humilitátis meæ ille intelligátur, ille honorétur, in quo et ómnium Pastórum sollicitúdo, cum commendatárum sibi óvium custódia persevérat, et cujus étiam dignitas in indígno heréde non déficit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dominica.

2 In cæléstibus regnis* sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus et ánimæ * justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúja.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Scanné avec CamScanner

Capit. Hebr. 13

Fratres : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

Rex gloriόse Præsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia :

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophǽa sacra pángimus :
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martýribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illis regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Vos estis * lux mundi : non potest cívitas abscóndi supra montem pósita ; neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt.

Oratio

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris : da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ ; ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. Ss. Apostolorum :

Ant. Gloriósi Príncipes terræ, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum ; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

Scanné avec CamScanner

AD PRIMAM

Ant. Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Obedíte, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. In cæléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Capit. Hebr. 13

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

℟. br. Lætámini in Dómino * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Ant. Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

Capit. Act. 20

ATTÉNDITE vobis, et univérso gregi in quo vos Spíritus Sanctus póssuit epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Ant. Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Hebr. 13

OBEDÍTE præpósitis vestris, et subjacéte eis : ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris reddituri.

℟. br Justi autem * In perpétuum vivent. Justi autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória Patri. Justi autem.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Scanné avec CamScanner

IN II VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui,* Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 131 Meménto, Dómine, in grátiam David, ut infra.

2 In cæléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

3 Córpora sanctórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in ætérnum.

4 Spíritus et ánimæ * justórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúja.

5 Fulgébunt justi * sicut sol in conspéctu Dei.

Psalmus 131

Meménto, Dómine, in grátiam David * omnis sollicitúdinis ejus :

Quómodo juráverit Dómino, * votum vóverit Poténti Jacob :

« Non intrábo in habitáculum domus meæ, * non ascéndam in stratum lecti mei,

Non concédam somnum óculis meis, * pálpebris meis quiétem,

Donec invénero locum Dómino, * habitatiónem Poténti Jacob ». —

Ecce, audívimus de illa in Ephrata ; * invénimus eam in campis Jaar.

Intrémus in habitatiónem ejus, * procidámus ante scabéllum pedum ejus.

Surge, Dómine, in locum quiétis tuæ, * tu et arca majestátis tuæ.

Sacerdótes tui índuant justítiam, * et sancti tui exsultántes exsúltent.

Propter David, servum tuum, * noli repéllere fáciem uncti tui. —

Jurávit Dóminus David * promíssum firmum a quo non recédet :

« Sóbolem géneris tui * ponam super sólium tuum.

Si custodíerint fílii tui pactum meum, * et præcépta quæ docébo eos,

Etiam fílii eórum in sempitérnum * sedébunt super sólium tuum ».

Nam Dóminus elégit Sion, * eam optávit sedem sibi : —

« Hæc est réquies mea in sempitérnum, * hic habitábo, quóniam optávi eam.

Scanné avec CamScanner

Victui ejus benedícens benedícam, * páuperes ejus saturábo pane.

Sacerdótes ejus índuam salúte, * et sancti ejus exsultántes exsultábunt.

Illic David suscitábo cornu, * parábo lucérnam uncto meo.

Inimícos ejus índuam confusióne, * super ipsum autem fulgébit diadéma meum ».

Ant. Fulgébunt justi sicut sol in conspéctu Dei.

Capit. Hebr. 13

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

REX gloriόse Prǽsulum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia :

Aurem benígnam prótinus
Appóne nostris vócibus :
Trophǽa sacra pángimus:
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis in Martýribus,
Parcéndo Confessóribus :
Tu vince nostra crímina,
Donándo indulgéntiam.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

℣. Elégit eos Dóminus sacerdótes sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Ad Magnif. Ant. Dum essent * summi Pontífices, terréna non metuérunt, sed ad cæléstia regna gloriósi migrárunt.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris : da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ ; ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

FAC nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli edíscere:

Scanné avec CamScanner

qua beátus Antónius María mirabíliter erudítus, novas in Ecclésia tua clericórum et vírginum famílias congregávit.

Deinde Com. Oct. Ss. Apostolorum :

Ant. Petrus Apóstolus et Paulus Doctor géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum ; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Complet. de Dominica.

DIE 9 JULII

SANCTI BERTRANNI
EP. ET CONF.

Semiduplex (m. t. v.)

Capit. et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Bertránni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári ; ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Elísabeth, pacis et pátriæ mater, in cælo triúmphans, dona nobis pacem.

℣. Ora pro nobis, beáta Elísabeth. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

Clementíssime Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti : da nobis, ejus intercessióne ; post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gáudia perveníre. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Beátus Bertránnus, conspícuis natus paréntibus, a téneris annis sancti Germáni Parisiénsis epíscopi discípulus, ab eódem præsule consecrátus est sacérdos et archidiáconus creátus. Plúrimis pollens virtútibus, epíscopus eléctus est Ecclésiæ Cenomanénsis, ut ei, præsulis Badegesíli deprædatiónibus laboránti, prístinum splendórem restitúeret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Plures passus labóres et optáta tranquillitáte potítus, excoléndis virtútibus et paupéribus sustentándis totus incúbuit. Ab Angelo mónitus, célebre constrúxit in honórem beatórum Apostolórum Petri et Pauli monastérium, cui nomen de Cultúra Dei datum est. Plura étiam ad urbis áditus fundávit xenodochía. Missus ad Brítones a Guntrámmo et Clotário régibus, sancívit pacem felíciter et præter spem.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Cum autem Theodobérti et Theodoríci regum ódium subiísset, a sede pulsus, exsuláre coáctus est, donec regna Austrásiæ et Burgúndiæ uni subderéntur Clotário. Quo favénte, diœcési rédditus, disciplínæ restaurándæ et móribus gregis ad Evangélii normam componéndis verbo et exémplo studére non déstitit. Cavit testaménto, ad nostra usque témpora asserváto,

ut quas posséderat amplæ ditiónes ad pios usus distribueréntur. Annis tandem et méritis plenus, ánimam Deo réddidit circa annum salútis sexcentésimum vigésimum quartum, prídie Kaléndas Júlii; at propter occurréntem festivitátem, ad hanc diem transfértur ejus memória. Sepúltus est in ecclésia monastérii de Cultúra, quod ipse Cenománi fundáverat.

℟. Iste, est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct., Homil. in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Bertránni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári : ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Vesperæ a Capit. de seq. Ss. Septem Fratribus Mm., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Exáudi, ut supra.

DIE 17 JULII

BB. TERESIÆ ET SOC.

VIRG. ET MART. COMPENDIENSIUM

Duplex

In II Vesp. B. M. V. de Carmelo Com. :

Ant. Mártyres ínclytæ ínvicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes :

Scanné avec CamScanner

Dóminus Deus aspíciet veritátem, et consolábitur in nobis, allelúja.

℣. Deus meus, impollúta via ejus. ℟. Protéctor est ómnium sperántium in se.

Oratio

Deus, qui ob invíctam in tuo amóre constántiam beátam Terésiam et Sócias ejus de vértice Carméli ad martýrii corónam vocásti : tríbue, quæsumus ; ut te fidéliter diligéntes, ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur : (Qui vivis.)

Deinde Com. S. Alexii Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Inter crudelitátis víctimas, quarum sánguine, duodevicésimo exeúnte sǽculo, divínis humanísque permíxtis, Parísii rubuérunt, mirábili exstitérunt exémplo séxdecim moniáles ex órdine Carmelitárum excalceatárum ; quarum dux et antístita fuit Terésia a sancto Augustíno. Hæ, ab ineúnte Galliárum perturbatióne, e Compendiénsi cœnóbio expúlsæ, cum furor in christiánum nomen máxime increvísset, mense Júnio anni millésimi septingentésimi nonagésimi quarti, comprehénsæ sunt atque in víncula conjéctæ. Quod équidem illas summo affécit gáudio ; nam íterum simul omnes congregátæ cárcerem pro monastério habuérunt, ibíque pietátis exercitatiónibus, quoad fíeri posset, óperam dantes, sese ínvicem ad martýrium cohortabántur.

Scanné avec CamScanner

℟. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Istæ sunt quæ venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Illinc haud multo post Parísios traducúntur. Duris cúrribus superjéctæ, mánibus ad tergum revínctis, stipátæ milítibus, ac plebis contumélias perférre coáctæ, hoc uno, in longo itínere, utebántur solátio quod Deo se pro Ecclésia et cívibus holocáustum offérrent. Ubi autem Parísios pervenérunt, dénuo in hórridum cárcerem tradúntur, novas et acérrimas moléstias perpessúræ. Sed eas neque ánimus neque vires defecérunt. Décimo sexto Kaléndas Augústi in jus súbito rapiúntur; ubi sine téstibus, sine defensóribus, præcípiti ac tumultuário judício cápitis damnátæ sunt, hoc uno tantum nómine, quod suo se institúto fidéles servávěrint, ac diviníssimum Cor Christi exímia colúerint religióne. Qua quidem senténtia fortíssimæ féminæ summa lætítia afféctæ sunt, quod certum esset illas non álio quam pro pietáte mori, atque ídeo ad martýrii corónam convoláre.

℟. Supra modum mater mirábilis et bonórum memória digna, quæ pereúntes fílias conspíciens, bono ánimo ferébat, * Femíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens. ℣. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Femíneæ cogitatióni.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Iter a tribunáli ad supplícium triúmphi créderes viam : nam Dei fámulæ, lætis vúltibus incedéntes, Deo grates per hymnos altérnæ persolvébant. Ubi demum mortis pegma conspexérunt, e curru prosíliunt, omnésque circa Terésiam antístitam in génua provolútæ, hymnum Veni Creátor Spíritus uno ore decántant.

Mox baptismi promissiónibus ac religiónis votis instaurátis, unam post áliam, íncipiens a Constántia novítia, tortor, velut fragrántes rosas, obtrúncat, dum Terésia síngulas ad fórtiter pro Christo moriéndum hortátur. Ultima, quasi áltera Machabæórum mater, Terésia ipsa caput carnífici præbuit. Præclári hujus martýrii fama longe latéque prótinus pervulgáta, propter cæléstia signa seu mirácula quæ accessérunt nova luce refúlsit. Quare Pius décimus Póntifex máximus illústres séxdecim mártyres, Carmelítidis famíliæ decus et ornaméntum, Beatórum catálogo adscrípsit.

℟. Constántia ómnium júnior, in Dei laudes prosíliens carnífici prima præbuit cervícem. * Et psalmum in terris inchoátum cum ángelis in cælo finívit. ℣. Laudáte Dóminum, omnes gentes, et collaudáte eum, omnes pópuli. Et psalmum. Glória Patri. Et psalmum.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit regnum cælórum, de Communi Vv. 1° loco.

Pro S. Alexio :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Aléxius, Romanórum nobilíssimus, propter exímium Jesu Christi amórem prima nocte nuptiárum peculiári Dei mónitu relínquens intáctam sponsam, illústrium orbis terræ ecclesiárum peregrinatiónem suscépit. Quibus in itinéribus cum ignótus septémdecim annos fuísset, aliquándo apud Edéssam, Sýriæ urbem, per imáginem sanctíssimæ Maríæ Vírginis, ejus nómine divulgáto, inde navi discéssit. Ad portum Románum appúlsus, a patre suo tamquam aliénus pauper hospítio accípitur; apud quem, ómnibus incógnitus, cum decem et septem annos vixísset, relícto scripto sui nóminis, sánguinis, ac totíus vitæ cursus, migrávit in cælum, Innocéntio primo summo Pontífice.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Vírgines laudent nomen Dómini. ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio

Deus, qui ob invíctam in tuo amóre constántiam beátam Terésiam et Sócias ejus de vértice Carméli ad martýrii corónam vocásti : tríbue, quǽsumus; ut te fidéliter diligéntes, ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur : Qui vivis.

Et fit Com. S. Alexii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui nos beáti Aléxii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, etiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq. S. Camillo de Lellis Conf.

Et fit Com. præced. :

Ant. Casta generátio in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum prǽmium vincens.

℣. Vírgines et Oratio Deus, qui ob invíctam, ut supra.

Deinde S. Alexii :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Deus, qui nos, ut supra.

Postea Ss. Symphorosæ et VII Filiorum Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi.
℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere : da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

DIE 19 JULII

S. VINCENTII A PAULO

CONFESSORIS

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Ant. 1 Egéni * et páuperes quærunt aquas, et non sunt: Ego Dóminus exáudiam eos. Deus Israël, non derelínquam eos.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet.

3 Lábia ejus * custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus, quia Angelus Dómini exercítuum est.

4 Ædificábo * ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

5 Inebriábo * ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capit. Eccli. 18, 12-13

Miserátio hóminis circa próximum suum: misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

Qui mutáre solet grándibus ínfima,
Omnes exsúperans, máximus ómnium,
Vincénti, ténuem te Deus éxtulit,
Cæli cœtibus ínserens.

Vilis sub túguri tégmine násceris,
At splendor ténebras excípiet breves:
Te compléxa sinu præsídium sibi
Nutrix paupéries parat.

Ut promptam míseris ferre scias opem,
Duras, heu! páteris servítii vices:
Sed te, dum fídei subdit herum jugo,
Solvit cómpede véritas.

Quantus nunc óperum luce pates! tuis
Christi sponsa nitet culta labóribus:
Clero priscus honos, vivaque lánguidis
Exsúrgit pópulis fides.

Te montánus, inops, æger et órphanus,
Te plebs tota suum jure vocat patrem:

Cunctis lætus ades, córpora súblevas,
Mentes concílias Deo.
Regum consíliis jussus ades sacris ;
Mentis certa tuæ lúmina cónsulunt ;
Te nil tangit honos ; at míseros ope,
Et regnum mónitis juvas.
Quem flectunt ínopes, máxima laus Patri :
Ægris unde salus, máxima Fílio :
Blando qui récreas péctora flámine,
Par sit laus tibi, Spíritus.
Amen.

℣. Parásti in dulcédine tua páuperi, Deus. ℟. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multa.

Ad Magnif. Ant. Páuperes Sion * saturábo pánibus, sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

Oratio

Deus, qui ad salútem páuperum et cleri disciplínam novam in Ecclésia tua per beátum Vincéntium famíliam congregásti : da, quæsumus ; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Camilli :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti : ejus, quæsumus, méritis, spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde ; ut in hora exítus nostri hostem víncere, et ad cæléstem meréamur corónam perveníre. Per Dóminum.

Completorium de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Evangelizántem paupéribus Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

O qui supérnæ gáudia pátriæ
Hausta perénni plénius ébibis,
Ne sperne, Vincénti, tuórum
Vota, preces, gémitus cliéntum.

Futúrus olim paupéribus pater,
Discis vel infans paupériem pati :
Præstantióres transitúris
Divítias tibi Christus offert.

Primis sub annis se tibi mútuo
Intácta junxit fœdere cástitas ;
In corde puro caritátem
Rellígio pietásque fovit.

Christum fidéli reddis imágine :
Sermóne, gressu, móribus éxprimis ;
Christíque Matris dulce nomen
Obséquiis et amóre laudas.

Vinclis onústus, tartáreis herum
Solvis caténis ; hinc tibi rédditus,
Noxis ligátos quot salúti
Restítuis subigísque Christo !

Austerióre*m* dum sapiéntiam
Castígat oris blanda serénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent,
Elóquio dominánte, vinci.

Latére gestis, spléndida non sinit
Latére virtus ; régia te vocat ;
Arcána tractas sacra regum,
Consílio monitísque prodes,

Doctrína puris édita fóntibus
Pervérsa constans dógmata réspuit :
Scuto retúndis veritátis
Mille malas novitátis artes.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio :
Compar tibi sit glória, Spíritus :
A se vocátos roboránti
Summus honor Dómino per ævum.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Proficiébat * atque crescébat, et placébat tam Dómino quam homínibus.

In tribus Noct., Pss. de Comm. Conf. non Pont.

Scanné avec CamScanner

Ant. 2 Cum captus esset, * in captivitáte tamen pósitus viam veritátis non deséruit, et numquam contaminátus est.

Ant. 3 Dóminus erat * cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio i 1 Cor. 1, 17-31

Misit me Christus evangelizáre, non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est ; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scripta? ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt ; nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judǽis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam : ipsis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus ; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Cum ab infántia sua Deum semper timúerit, non est contristátus contra Deum quod plaga evénerit ei : * Sed immóbilis in Dei timóre permánsit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. ℣. Venérunt flúmina, flavérunt venti, et non cécidit. Sed.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles ; sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes :

Scanné avec CamScanner

et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et sanctificátio, et redémptio ; ut quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Sapiéntia vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum, * Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum. ℣. Oppréssum a nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit : adspéctu enim et audítu justus erat. Descendítque.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 2, 1-7

Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis ; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos : sapiéntiam vero non hujus sǽculi, neque príncipum hujus sǽculi qui destruúntur ; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram.

℟. Juxta manum Dei sui bonam super se, * Parávit cor suum ut investigáret legem Dómini, et fáceret et docéret in Israël præcéptum et judícium. ℣. Devítans profánas vocum novitátes et oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. Parávit. Glória Patri. Parávit.

In II Nocturno

Ant. 4 Tulit me Dóminus * cum séquerer gregem et díxit Dóminus ad me : Vade, prophéta, ad pópulum meum.

Scanné avec CamScanner

Ant. 5 Annuntiábam * ut pœniténtiam ágerent, et converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes.

Ant. 6 Multi credéntium * veniébant confiténtes, et annuntiántes actus suos.

℣. Sústulit eum de grégibus óvium. ℟. Páscere Jacob servum suum, et Israël hereditátem suam.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Vincéntius a Paulo, Pódii, non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia, natus, a púero exímia in páuperes caritáte enítuit. A custódia patérni gregis ad lítteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósæ, tum Cæsaraugústæ dídicit. Sacerdótio initiátus et theologíæ láurea insignítus, cum Tolósam Massília redíret, in Turcas íncidit, qui navis magístro aliísque intereméptis, ipsum sagítta vulnerátum in Africam captívum adduxérunt. Ibi herum suum, qui a christiána fide, ut Mahumétis sequerétur deliraménta, defécerat, rursus Christo lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deípara, prorípiens, ad apostólica límina iter instítuit, unde revérsus in Gálliam, suadénte sanctæ Románæ Ecclésiæ cardináli Berúllo, Clippiáci primum, mox Castelliónis parœ́cias sanctíssime rexit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio præpósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit quam verum et rectum esset judícium ejúsdem sanctíssimi præsulis, qui sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Evangélii factus sum miníster secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndum operatiónem virtútis ejus. * Mihi, ómnium sanctórum mínimo, data est grátia hæc, evangelizáre investigábiles divítias Christi. ℣. Ego novíssimus evigilávi, et quasi qui cólligit ácinos post vindemiatóres, in benedictióne Dei et ipse sperávi, et quasi qui vindémiat, replévi tórcular. Mihi.

Scanné avec CamScanner

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Gymnasiárcha collégii Bonórum Puerórum Parísiis constitútus, congregatiónem Presbyterórum sæculárium Missiónis instítuit ; qui contémptis mundi hujus illécebris, ad rústicos et agréstes fídei cathólicæ mystéria et divína præcépta edocéndos se addícerent. Plures misit ex his non solum in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hibérniam, sed étiam ad Bárbaros et Indos, nostrísque terris dissociátas gentes, quas, depúlsis idololatríæ ténebris ad lucem veritátis adduxére. Ecclesiásticas domos recipiéndis cléricis qui ad sacros órdines promovéndi essent assignávit. Sacerdótes adunávit, qui statis diébus de divínis rebus inter se conférrent. Ut autem non solum salúti animárum, sed étiam córporis indigéntiæ consúleret, matronárum cœtus et societátem Puellárum Caritátis nuncupatárum fundávit, quæ sénibus, púeris, egénis, et omnis géneris ægrotántibus curándis inserviendísque diu noctúque allaborárent. Infántes expósitos, vírgines periclitántes, mulíeres lapsas, peregrínos, infírmos, artífices inválidos subsídiis et hospítiis etiámnum superstítibus excépit ac pie fovit. Valetudinária pro infírmis remígibus, Parísiis et Massilíæ, eo eníxe procuránte, régia liberalitáte constrúcta et dotáta fuére. Lotharíngiam, Campániam, Picárdiam, peste, fame, bellóque vastátas, lárgiter refécit ; et cum ipsa Parisiórum cívitas ingénti annónæ penúria gravíssime vexarétur, domi suæ ad duo míllia páuperum sustentávit.

℟. Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem ; * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco et pes claudo ; pater eram páuperum. Omnibus.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Ipsum Ludovícus décimus tértius móriens in último illo agóne adjutórem consolatorémque

esse vóluit; et Anna Austríaca, post regis óbitum, in sánctius consílium adscívit. Quo in múnere ejus præcípua cura fuit ut nónnisi dignióres ecclésiis ac monastériis præficeréntur. Hæc inter et ália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus cunctis affábilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus aliénus, sanctæ Sedi Apostólicæ fírmiter addíctus, et fídei avítæ appríme tenax, non minus sénio quam córporis labóribus conféctus, óbiit Parísiis, quinto Kaléndas Octóbris, anno millésimo sexcentésimo sexagésimo, ætátis suæ octogésimo quinto, et apud domum sancti Lázari, quæ caput erat congregatiónis Missiónis, sepúltus est. Quem virtútibus, méritis ac miráculis clarum, Clemens duodécimus Sanctórum número adscrípsit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Júlii quotánnis assignáta. Hunc autem divínæ caritátis exímium heróem, de unoquóque hóminum génere óptime méritum, Leo tértius décimus, instántibus plúribus sacrórum Antistítibus, ómnium societátum Caritátis in toto cathólico orbe exsisténtium et ab eo quomodocúmque promanántium, peculiárem apud Deum patrónum declarávit et constítuit.

℟. Auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi, eo quod liberássem páuperem vociferántem, et pupíllum cui non esset adjútor : * Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. ℣. Qui parce séminat, parce et metet : et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Benedíctio peritúri. Glória Patri. Benedíctio peritúri.

In III Nocturno

Ant. 7 Addúxit sacerdótes * atque levítas, et congregávit eos.

Ant. 8 Dixítque ad eos: * Audíte me, levítæ, et sanctificámini, mundáte domum Dómini, et auférte omnem immundítiam de sanctuário.

Ant. 9 Egréssi autem * circuíbant per castélla evangelizántes ubíque.

℣. Dóminus dabit voci suæ vocem virtútis. ℟. Date glóriam Deo super Israël.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 9

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In cap. 9 Matth.

Cernis quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis, Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni : et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem, ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Venérunt ad eum in hospítium plúrimi, * Quibus exponébat testíficans regnum Dei, suadénsque eis de Jesu ex lege Móysi et Prophétis, a mane usque ad vésperam. ℣. Mónita salútis dabat eis, et consolabátur eos. Quibus.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci : rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum signíficat multitúdinem : operárii pauci penúriam magistrórum.

℟. Misit levítas et sacerdótes, * Docebántque habéntes librum legis Dómini, et circuíbant

atque erudiébant pópulum. ℣. Proféсti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte et sermónem confirmánte. Docebántque. Glória Patri. Docebántque.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et ímperat ut rogent Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Isti sunt operárii, de quibus lóquitur Psalmísta, dicens : Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua ; veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. Et ut apértius loquar : Messis multa, omnis turba credéntium est : operárii autem pauci, et Apóstoli, et imitatóres eórum qui mittúntur ad messem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES
ET PER HORAS

Ant. 1 Erat vir ille * simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo.

Pss. de Dominica.

2 Vir justus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit.

3 Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

4 Ipse est * diréctus divínitus in pœniténtiam gentis: gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

5 In opéribus bonis * testimónium habens, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est.

Capit. Eccli. 18, 12-13

Miserátio hóminis circa próximum suum : misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

Ut nunc ab alto prævia
Nos luce, Vincénti, regis !
Virtútis exémplo tuæ
Signans ad astra trámitem.

Scanné avec CamScanner

Diléсta Sponso vírginum
Corpus sacrávit cástitas :
Ornáre virtútum chorus
Mentem pudícam géstiit.

Hinc illa qua te déprimis
Sibi timens modéstia :
Hinc blanda morum lénitas,
Vitǽque candor símplicis.

Sed inter omnes émicat
Quo fervet igne cáritas :
Quot illa pascit páuperes,
Quot corda Christo súbjicit !

Ardénte zelo pércitus,
Late Dei mystéria
Per rura pandis : nec tamen
Curam poténtum déseris.

Te sensit error íntegra
Dolos repulsántem fide :
Te sensit inténsum scelus,
Tibíque cessit ímpotens.

Pii labóris ǽmulam
Prolem sub alis cóngregas :
Hanc voce, factis, móribus,
Dux et magíster édoces.

Qui se perénne prǽmium
Dat caritáte férvidis,
Uni sit et trino Deo
Laus et perénnis glória.
Amen.

℣. Sacerdótes tui, Dómine, induántur justítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

Ad Bened. Ant. Operátus est * bonum, et rectum, et verum coram Dómino Deo suo in univérsa cultúra ministérii domus Dómini, juxta legem et cæremónias volens requírere Deum suum in toto corde suo.

Oratio

Deus, qui ad salútem páuperum et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti : da quǽsumus ; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Ad Horas, Pss. de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Erat vir ille * simplex, et rectus, ac timens Deum, et recédens a malo.

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Indúite vos, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Vir justus * atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit.

Capit. Eccli. 18, 12-13

MISERÁTIO hóminis circa próximum suum : misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

℟. br. Providébam Dóminum * In conspéctu meo semper. Providébam. ℣. Quóniam a dextris est mihi, ne commóvear. In conspéctu meo semper. Glória Patri. Providébam.

℣. Servávi mandáta tua et testimónia tua. ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

AD SEXTAM

Ant. Dedit * in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini.

Capit. Exod. 18, 19-20

ESTO pópulo in his quæ ad Deum pértinent, ut réferas quæ dicúntur ad eum, ostendásque pópulo cæremónias et ritum coléndi.

℟. br. Servávi mandáta tua * Et testimónia tua. Servávi. ℣. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. Et testimónia tua. Glória Patri. Servávi.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi.

AD NONAM

Ant. In opéribus bonis * testimónium habens, hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit, omne opus bonum subsecútus est.

Capit. Col. 3, 12, 14

INDÚITE vos, sicut elécti Dei sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam. Super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

℟. br. Dispérsit, dedit paupéribus, * Justítia ejus manet in sæculum sæculi. Dispérsit. ℣. Cornu ejus exaltábitur in glória. Justítia ejus. Glória Patri. Dispérsit.

Scanné avec CamScanner

℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem. ℟. In die mala liberábit eum Dóminus.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Egéni * et páuperes quærunt aquas, et non sunt : Ego Dóminus exáudiam eos. Deus Israël, non derelínquam eos.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Suscitábo mihi * sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet.

3 Lábia ejus * custódient sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus, quia Angelus Dómini exercítuum est.

4 Ædificábo * ei domum fidélem, et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

5 Inebriábo * ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Capit. Eccli. 18, 12-13

Miserátio hóminis circa próximum suum : misericórdia autem Dómini super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum.

Hymnus

Quis novus cælis ágitur triúmphus?
Cǽlitum plausum comiténtur hymni :
Ecce lux cleri, pater indigéntum,
Æthere splendet.

Facta, Vincénti, tua te perórnant :
Cáritas aptat cápiti corónam :
Teque, quam terris húmilis parásti,
Glória vestit.

Quam rudes olim pópulos docébas,
Véritas nunc se tibi tota pandit :
Páuperi quidquid pia dextra fudit,
Reddit Olýmpus.

Te sacerdótes vel adhuc magístro
Optimum Christi réferunt odórem :
Púllulat per te sacra lætióri
Vínea fœtu.

Sed tibi quantum decus elabórant
Vírgines castæ, sociǽque matres!
Páuperum gaudent, duce te, fidéles
Esse minístræ.

Scanné avec CamScanner

Corde qui puro míseros levábas,
Disce nunc votis hóminum rogári :
Te suum clamant ínopes, amíca
Turba, patrónum.

Summus ætérno sit honos Parénti :
Par decus Nato míseros levánti :
Sancte, sit compar tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Ad Magnif. Ant. Diléctus Deo * et homínibus, cujus memória in benedictióne. Símilem illum fecit Deus in glória sanctórum : glorificávit illum in conspéctu regum, et osténdit illi glóriam suam.

Oratio

Deus, qui ad salútem páuperum et cleri disciplínam, novam in Ecclésia tua, per beátum Vincéntium, famíliam congregásti : da, quǽsumus; ut eódem nos quoque spíritu fervéntes, et amémus quod amávit, et quod dócuit operémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Hierónymi Æmiliani tantum :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti : concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

DIE 21 JULII

SANCTI VICTORIS
MARTYRIS

Simplex

In II Vesp. S. Hierónymi Æmiliani fit Com. seq. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Cóntere, Dómine, humáni géneris hostem sub pédibus nostris, qui beáto Victóri Mártyri tuo in confessióne tui nóminis cultum dæmonum calcáre tribuísti. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Praxedis Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Praxédis Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

In Nocturno

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Victor miles, in persecutióne Diocletiáni et Maximiáni cum idólis sacrificáre nollet, præfectórum tribunálibus oblátus est; ibíque Christum líbere conféssus, quia vir nóbilis erat, Maximiáni imperatóris audiéntiæ reservátus est. Hic, frustra tam blandítiis quam terróribus adhíbitis ut eum ad sacrifícia perurgéret, loris ligátum, retórtis bráchiis et pedes fune constríctum, per médiam civitátem trahi præcépit. Tunc ad tribunália præfectórum redúctus, dum alter álterum crudelitáte víncere nítitur, recedénte Eutýchio, qui primus aggréssus Mártyrem fúerat, Astérii jussu, cujus tandem est potestáti tráditus, fústibus crudelíssime cæsus, deínde suspénsus, et táureis cruciátus est. Dénique, cum exhíbitam sibi aram in qua sacrificáret calce excussísset, pedem ei præses abscíndi jussit. Cum autem in confessióne constans permanéret, subjéctus molæ pistrináriæ atque ita contrítus, martýrium consummávit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio Cóntere, ut supra 102

Et fit Com. S. Praxedis:

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Exáudi nos, ut supra 102

Vesperæ de sequenti.

DIE 30 JULII

SANCTI GERMANI

ANTISSIODOREN. EPISCOPI ET CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

Capit. et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Da nobis, Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte, cæléstis grátiæ, quam ille verbis, opéribus et miráculis asséruit, præsens adésse auxílium : ut, dum tanti Prǽsulis exémpla mirámur et cólimus, ejus étiam fidem et actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Marthæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est, ut supra.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Marthæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Deinde Ss. Abdon et Sennen Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Scanné avec CamScanner

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulísti : da fámulis tuis suórum véniam peccatórum ; ut, Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Germánus, nóbili génere Antissiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ juris perítiam adéptus, causas egit ; ibíque uxórem duxit. Provínciæ suæ visitátor constitútus, in Gálliam rédiit. Quem cum comperísset Amátor Antissiodorénsis epíscopus sibi successórem futúrum esse, Augustodúnum se cóntulit, ut Germáni in clerum adsciscéndi potestátem a Júlio præfécto impetráret eúmque rescísso capillítio, clericáli veste índuit. Factus exínde epíscopus, Germánus mutátur in virum álterum : namque cœpit sæculi pompam adspernári, uxórem habére pro soróre, vitam ásperam dúcere, cilício carnem domáre, vilem indúere hábitum, sua paupéribus erogáre, ómnibus sine personárum acceptióne hospítium præbére, oratiónem vix umquam intermíttere.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum autem Pelagiána hæresis in Británnia Majóre grassarétur, ad eam exstirpándam Gálliæ epíscopi, rogántibus Británnis, misérunt Germánum cum Lupo Trecénsi, qui ínsulam purgárent ab erróre. Quo in itínere, dispósito per fines Parisiórum tránsitu, Germánus

Genovéfam, annórum sex aut septem puéllam, Christo dicándam vírginem despóndit. In mari concitátam tempestátem oratióne sua compéscuit. In ínsula tum multis, tum insígnibus miráculis cathólici dógmatis veritátem asséruit. Junctos advérsus Brítones Sáxonum Pictonúmque exércitus, factus ipse dux mílitum, terret fugátque, non armórum vi nec copiárum número vel róbore, sed voce Allelúja ejus jussu ter a cléricis tum a milítibus vasto clangóre repetíta. In Gálliam redux, cum accepísset civitátem suam tribútis aliísque calamitátibus ádmodum premi, Arelátem se cóntulit ad Auxiliárem Gálliæ præféctum, pro vexáta plebe intercessúrus. Auxiliáris Germáni précibus ultro ánnuit et vicíssim a Germáno grátiam recépit: quippe qui uxórem ejus quartána febre dudum laborántem prístinæ réddidit sanitáti.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio v

Rogátus a Británnis ut quod cœperat opus absólveret, adjúncto sibi cómite Sevéro Treverénsi in ínsulam íterum profécus, renascéntem Pelagiánam hǽresim prorsus exstínxit. Inde expetíta Ravénna ut a Valentiniáno imperatóre véniam Armóricis rebéllibus péteret, ab ipso ejúsque matre Placídia summo honóre excéptus, cum æqua ómnia et placabília inveníret, mórtuo præséntibus aulæ procéribus suscitáto, morbo corréptus est et intra paucos dies decéssit. Corpus ejus honorífico comitátu Antissiodórum relátum est. Exínde exstrúcta est in honórem ejus ad oram Séquanæ aquilonárem insígnis basílica, quæ in lítteris Chilperíci regis, Clodovéi Magni nepótis, monastérii nómine donátur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est:

* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit ; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Mor. 1. 27 c. 8-11

Cum prophétas ábstulit, eórum vice Dóminus Apóstolos misit, postquam, subdúctis antíquis pátribus, exterióra legis prædicaménta tacuíssent. Cum de Judǽa Apóstolos prædicándo ábstulit, doctrína novæ grátiæ mundum rigávit. Quod factum quoque in Ecclésia potest non inconveniénter intélligi : quia étiam redúctis ad supérna Apóstolis per expositórum sequéntium linguas divínæ fluénta sciéntiæ diu abscóndita largióri effusióne patefécit. Nam quod illi sub brevitáte locúti sunt, hoc exponéndo ipsi multiplíciter auxérunt. Quorum verbis dum quotídie gentílitas docétur, peccatórum mens cæléstem sciéntiam áccipit. Sed nequáquam se iísdem Apóstolis expositóres in sciéntia prǽferant, cum exponéndo látius loquúntur. Meminísse quippe incessánter debent per quos ejúsdem sciéntiæ inventiónes accepérunt : quia si ex sanctis Apóstolis vis intelligéntiæ non incíperet, nequáquam per doctórum ora lárgior manáret. Ipsi ígitur aréntem nostri péctoris terram cæléstis intelligéntiæ fluéntis rigant ; quia transíre intelléctus noster ad divína non sínitur, nisi prius per sanctórum præcedéntium exémpla formétur : unde nos quoque Deus illúminat, quia per admirátam vitam Patrum præcedéntium rátio nos suæ claritátis illústrat.

Scanné avec CamScanner

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Sed eísdem sanctis prædicatóribus nequáquam ad persuadéndum verba suffíciunt, nisi étiam mirácula addántur. Quod, auctóre Deo, jam factum cérnimus. Omnípotens enim Dóminus, emicántibus prædicatórum miráculis, ad fidem étiam términos mundi perdúxit. Ecce enim pene cunctárum jam géntium corda penetrávit. Ecce in una fide Oriéntis límitem Occidentísque conjúnxit. Ecce lingua Británniæ, quæ nil áliud nóverat, quam bárbarum fréndere, jamdúdum in divínis láudibus hebræum cœpit Allelúja resonáre. Ecce quondam túmidus jam substrátus sanctórum pédibus servit Océanus, ejúsque bárbaros motus, quos terréni príncipes edomáre ferro nequíverant, hos pro divína formídine sacerdótum ora verbis simplícibus ligant; et qui catérvas pugnántium in fidélis nequáquam metúerat, jam nunc fidélis humílium linguas timet. Quia enim percéptis cæléstibus verbis, clarescéntibus quoque miráculis, virtus et divínæ cognitiónis infúnditur, ejúsdem divinitátis terróre refrenátur, ut prava ágere métuat, ac totis desidériis ad ætérnam glóriam veníre concupíscat.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro Ss. Abdon et Sennen:

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Abdon et Sennen Persæ, Décio imperatóre accusáti quod córpora Christianórum, quæ inhumáta projiciebántur, in suo prædio sepelíssent,

jussu imperatóris comprehendúntur, et diis jubéntur sacrificáre. Quod cum fácere neglígerent, et Jesum Christum Deum constantíssime prædicárent, tráditos in arctam custódiam, Romam póstea rédiens Décius vinctos duxit in triúmpho. Qui cum in Urbe ad simulácra attrácti essent, ea detestáti conspuérunt. Quam ob rem ursis ac leónibus objécti sunt; quos feræ non audébant attíngere. Demum, gládiis trucidáti, colligátis pédibus tracti sunt ante solis simulácrum. Quorum córpora clam inde asportáta, Quirínus diáconus sepelívit in suis ædibus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

Da nobis, Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte, cæléstis grátiæ, quam ille verbis, opéribus et miráculis asséruit, præsens adésse auxílium: ut, dum tanti Præsulis exémpla mirámur et cólimus, ejus étiam fidem et actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Abdon et Sennen:

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulísti; da fámulis tuis suórum véniam peccatórum; ut, Sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Vesp. de seq. S. Ignatio.

Et fit Com. præced.:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Da nobis, ut supra.

Scanné avec CamScanner

FESTA AUGUSTI

DIE 3 AUGUSTI

INVENTIO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS

Semiduplex

(In Basilica Metropolitana : Duplex)

Ut in Brev. præter seq.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Aliquæ partículæ reliquiárum sancti Stéphani in Africam, Gálliam, aliásque orbis partes delátæ, multis claruérunt miráculis. Ex charta Childebérti regis Francórum, constat antíquitus índitum fuísse majóri Parisiénsis ecclésiæ basílicæ, cum nómine beátæ Maríæ, nomen Protomártyris Stéphani, cujus ibi pígnora colebántur. Fuit et próxima huic, antíquior sancti Stéphani ecclésia, quæ sancti Stéphani Véteris nomen hábuit, in qua concílium Parisiénse sextum, témpore Ludovíci Pii imperatóris celebrátum est ; díruta vero fuit, cum, Maurítio epíscopo, major ecclésia, ut nunc vísitur, ampliáta est. Ad quorum memóriam servándam, Pius décimus Póntifex máximus indúlsit ut sanctus Stéphanus in Patrónum minus principálem ecclésiæ metropolitánæ assumerétur, festúmque Inventiónis sancti Protomártyris, sub ritu dúplici, in eádem ecclésia celebrarétur.

℟. Impii super justum jactúram fecérunt, ut eum morti tráderent : * At ille gaudens suscépit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriæ. ℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. At ille. Glória Patri. At ille.

DIE 8 AUGUSTI

B. PETRI JULIANI EYMARD CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

Capit. Beátus vir, et Hymnus de Communi.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Quasi sol refúlgens, * sic ille effúlsit in templo Dei, et quasi thus ardens in igne, in ascénsu altáris sancti glóriam dedit Dómino.

Oratio

Deus, qui ad solémnem erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum cultum ubíque augéndum, beátum Petrum Juliánum mirabíliter suscitásti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : concéde propítius ; ut, ejus intercessióne et exémplo, in spíritu et veritáte fídei mystérium adorémus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Quǽrite primum regnum Dei et justítiam ejus, et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre.

Deinde Ss. Cyriaci et Soc. Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Petrus Juliánus in óppido La Mure d'Isère, diœcésis Gratianopolitánæ, ortum, ut fertur felíciter prædíctum, ex honéstis probísque paréntibus duxit. Ope píssimæ matris, quæ Sanctíssimum Sacraméntum quotídie in templo vísitans, filíolum sibi cómitem adjúngere solébat,

Scanné avec CamScanner

ínnocens et ad sacra propénsus succrévit. Puer, desidérium se Deo vovéndi in sacro ministério soróri suæ patefécit, quæ cum olim illum clam post altáre ecclésiæ stantem super scabéllum et férvide orántem deprehendísset, is percunctánti quid illic fáceret, respóndit : Juxta Jesum adsto ut vocem ejus áudiam. Quo parátior ad sacram Synáxim primum accéderet, sanctuárium beátæ Vírginis du Laus longe díssitum, pédibus adívit. Ecclesiásticæ ejus vocatióni patre obsisténte, adoléscens stúdiis linguæ latínæ occúlte vacávit, et décimo octávo ætátis anno voti compos, Massíliæ inter Oblátos Mariáles clericálem hábitum índuit. Sed brevi in letálem morbum íncidit, a quo ut convalésceret in suam domum redíre ibíque biénnio manére coáctus est. Mórtuo patre, divínam vocatiónem sequens, seminárium majus Gratianopolitánum ingréssus est, ubi, doctrína ac pietáte profíciens, anno vigésimum quartum agens, sacerdótio auctus fuit. Mox Chatténsi parœciæ vicária potestáte addíctus, triénnio laudabíliter expléto, paróchus vici Monteynard renuntiátus est : quod munus rectíssime obívit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Impetráta ab epíscopo vénia, cum Lugdúnum ad radíces montis qui olim Forum vetus appellabátur, se contulísset, exácto tirocínio, religiósa vota nuncupávit in Societáte Maríæ recens constitúta, ad quam eum alléxerat peculiáris erga Vírginem devótio et spes quam primum trajiciéndi in ínsulas Oceániæ, ut ibi bárbaras gentes Christo lucrifáceret. Superiórum vero jussu, postquam magíster pietátis quinque annos alúmnis collégii Belliciénsis præclára præfuit,

ália in suo institúto múnia, tum Lugdúni, tum in collégio civitátis La Seyne-sur-Mer, miríﬁce implévit. Sed majóri stúdio erga Sanctíssimum Sacraméntum jámdiu inflammátus, de quo frequentióres conciónes ad pópulum habébat, anno millésimo octingentésimo quinquagésimo primo, in sacéllo Fori véteris ante prodigiósam imáginem beátæ Maríæ Vírginis orans, ejus instínctu et afflátu, sério animadvértens ómnia mystéria vitæ Dómini Jesu ab áliquo religióso Ordine præcípue honorári, Sanctíssimum vero altáris Sacraméntum, profécto máximum, nullam famíliam virórum habére, quæ ejus speciálem cultum prosequerétur, hoc salutíferum opus erígere curávit. Superátis ítaque tot difficultátibus, assentiénte et benedicénte Pio Papa Nono, novum hoc Institútum, ab Archiepíscopo Parisiénsi probátum cóndidit et alúmnos solémni cúltui Sanctíssimæ Eucharístiæ ita mancipátos vóluit, ut intérdiu noctúque perpétua per orbem adoratióne Augústum Sacraméntum públicæ veneratióni in sua quaque religiósa domo propósitum, cólerent, ipsísque vitam contemplatívam simúlque actívam, hanc vero prióri illi subjéctam, sapientíssimis régulis præscrípsit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loríçam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Prætérea Ancillárum Sanctíssimi Sacraménti Societátem Andégavi eréxit, cui primam antístitam dedit puéllam Margarítam Guillot, quæ sancti Joánnis Baptístæ Vianney consílio, Lugdúnum relíquerat et Juliánum Parísiis commorántem adíerat. Ad eucharísticam adoratiónem inter fidéles magis promovéndam, Aggregatiónem Sanctíssimi Sacraménti excogitávit. Præcípue autem de stúdio Sanctíssimæ Eucharístiæ apud clerum excitándo curávit, cum sibi persuásum díceret,

sine ulla dubitatióne adoratóres multiplicátum iri sacerdótum ópera, hosque ipsos veros in pópulo cultus eucharístici apóstolos esse futúros. Omnibus, ut fructuóse fíeret adorátio, aptíssimam orándi méthodum commendávit, quam inter suos, lege própria, invéxerat, ut scílicet Dómino Jesu Christo, ad ejus exémplum se in Missæ sacrifício offeréntis, uníus horæ spátio obséquia adoratiónis, gratiárum actiónis, propitiatiónis et impetratiónis exhiberéntur. His sane opéribus ad inchoándos provehendósque Convéntus Eucharísticos iter parávit. Omnia mystéria Jesu Christi summa pietáte meditabátur ejúsque Passiónem assídue recolébat, et salutárem viæ crucis exercitatiónem usque ad mortem in delíciis hábuit. Pœniténtiæ et voluntáriæ castigatiónis spíritu animátus, inter tertiários seráphici Patris vix sacerdótio decorátus ádscribi vóluit. Tandem labóribus et infirmitátibus fractus, in suo natáli óppido, die prima Augústi, anno millésimo octingentésimo sexagésimo octávo, annos natus quinquagínta septem et ámplius, in ósculo Jesu Christi crucifíxi exspirávit. Quem tot méritis et prodígiis clarum Pius Papa undécimus, anno sacro, inter Beátos rétulit. Ejus corpus Parísios delátum et in sacéllo domus sui Institúti, cui nomen Corpus Christi, depósitum est.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 6, 56-70

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Et réliqua.

Scanné avec CamScanner

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tractatus 26 in Joann. post medium

NORUNT fidéles corpus Christi, si corpus Christi non négligant esse. Fiant corpus Christi, si volunt vívere de Spíritu Christi. De Spíritu Christi non vivit, nisi corpus Christi. Intellígite, fratres mei, quid díxerim. Homo es, et spíritum habes, et corpus habes. Spíritum dico, quæ ánima vocátur, qua constas quod homo es : constas enim ex ánima et córpore. Habes enim spíritum invisíbilem, corpus visíbile. Dic mihi, quid ex quo vivat? Spíritus tuus vivit ex córpore tuo, an corpus tuum ex spíritu tuo? Respóndet omnis, qui vivit : qui autem hoc non potest respondére, néscio si vivit. Quid respóndet omnis, qui vivit? Corpus útique meum vivit de spíritu meo. Vis ergo et tu vívere de Spíritu Christi? In córpore esto Christi.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum :* Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

NUMQUID enim corpus meum vivit de spíritu tuo? Meum vivit de spíritu meo, et tuum de spíritu tuo. Non potest vívere corpus Christi, nisi de Spíritu Christi. Inde est, quod expónens nobis Apóstolus Paulus hunc panem : Unus panis, inquit, unum corpus multi sumus. O sacraméntum pietátis, o signum unitátis, o vínculum caritátis! Qui vult vívere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accédat, credat, incorporétur ut vivificétur. Non abhórreat a compáge membrórum, non sit putre membrum quod resecári mereátur, non sit distórtum, de quo erubescátur. Sit pulchrum, sit aptum, sit sanum : hæreat córpori, vivat Deo de Deo. Nunc labóret

Scanné avec CamScanner

in terra, ut póstea regnet in cælo.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro Ss. Cyriaco et Soc. Mm. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Cyríacus diáconus, cum Sisínio, Largo et Smarágdo diútius inclúsus in cárcere, multa édidit mirácula, in quibus Arthémiam Diocletiáni fíliam précibus a dæmone liberávit : missúsque ad Sáporem Persárum regem, Jobíam étiam ejus fíliam a nefário spíritu erípuit. Rege vero ejus patre cum quadringéntis ac trigínta áliis baptizátis, Romam rédiit; ubi, Maximiáni imperatóris jussu comprehénsus, caténis vinctus ante rhedam suam tráhitur; et post dies quátuor e cárcere edúctus, pice liquáta perfúsus et in catásta exténsus, demum cum Largo et Smarágdo aliísque vigínti secúri percússus est via Salária, ad hortos Sallustiános. Quorum córpora in eádem via décimo séptimo Kaléndas Aprílis sepúlta a Joánne presbýtero, póstea sexto Idus Augústi a Marcéllo Pontífice et Lucína nóbili fémina líneis velis involúta et pretiósis unguéntis condíta, in ipsíus Lucínæ prædium via Ostiénsi, séptimo ab Urbe lápide, transláta sunt.

Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Petrus Juliánus in óppido La Mure, diœcésis Gratianopolitánæ, ex honéstis probísque paréntibus ortus est sub inítio sæculi décimi noni. Adhuc puer cum piíssima matre Sanctíssimum Sacraméntum quotídie visitáre solébat. Inde hausit desidérium se Deo vovéndi in sacro ministério.

Scanné avec CamScanner

Ejus vocatióni patre obsisténte, stúdiis occúlte vacávit ut linguam latínam dísceret. Mórtuo patre, seminárium ingréssus et sacerdótio auctus, cum vicárii, tum párochi rectíssime múnera implévit. Impetráta ab Epíscopo Lugdunénsi vénia, religiósa vota nuncupávit in Societáte Maríæ. Sed animadvértens Sanctíssimum altáris Sacraméntum nullam famíliam virórum habére, quæ illud speciáli prosequerétur cultu, Lutétiæ, ubi plures annos mansit, novum institútum ita constítuit ut intérdiu noctúque perpétua adoratióne hujus sodáles sacram Eucharístiam cólerent, et vitam contemplatívam simúlque actívam dégerent. Prætérea Ancillárum sanctíssimi Sacraménti Societátem Andégavi cóndidit. Labóribus et infirmitátibus fractus, annos natus quinquagínta septem in ósculo Jesu Christi exspirávit. Quem méritis et prodígiis clarum Pius Papa undécimus anno sacro inter Beátos rétulit. Ejus corpus Parísios delátum et in sacéllo domus sui Institúti, cui nomen Corpus Christi, depósitum est, ibíque eum fidéles venerántur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Serviámus Illi * in sanctitáte, et justítia coram ipso ómnibus diébus nostris.

Oratio

Deus, qui ad solémnem erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum cultum ubíque augéndum, beátum Petrum Juliánum mirabíliter suscitásti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : concéde propítius ; ut, ejus intercessióne et exémplo, in spíritu et veritáte fídei mystérium adorémus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Ss. Cyriaci et Soc. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Scanné avec CamScanner

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Lárgi et Smarádgi solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq., Com. præced., Ss. Cyriaci et Soc. Mm. ac S. Romani Mart., ut infra.

DIE 9 AUGUSTI

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

Omnia ut in Brev. præter seq.

IN I VESPERIS

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Suscitábo mihi * Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet, et ædificábo ei domum fidélem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus ; ut ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Adorántes dícite in córdibus vestris : Te opórtet adorári, Dómine.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui ad solémnem erga sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum cultum ubíque augéndum, beátum Petrum Juliánum mirabíliter suscitásti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : concéde propítius ; ut, ejus intercessióne et exémplo, in spíritu et veritáte fídei mystérium adorémus.

Scanné avec CamScanner

Deinde Ss. Cyriaci et Soc. Mm. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarádgi solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur.

Postea S. Romani :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio vii Cap. 9, 35-38

In illo témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prǽdicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Matth. 9

Cernis quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis

et villis Evangélium regni : et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem, ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse intercédat.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

VIDENS autem turbas misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci : rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa populórum signíficat multitúdinem : operárii autem pauci, penúriam magistrórum. Et ut apértius loquar : Messis multa, omnis turba credéntium est : operárii autem pauci, et Apóstoli, et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro Vigilia S. Laurentii Mart. :

Bened. Per evangélica dicta.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Lectio ix Cap. 16, 24-27

IN ILLO témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 32 in Evang.

QUIA Dóminus ac Redémptor noster novus homo venit in mundum,

nova præcépta dedit mundo. Vitæ étenim nostræ véteri, in vítiis enutrítæ, contrarietátem oppósuit novitátis suæ. Quid enim vetus, quid carnális homo nóverat, nisi sua retinére, aliéna rápere, si posset; concupíscere, si non posset? Sed cæléstis médicus síngulis quibúsque vítiis obviántia ádhibet medicaménta. Nam sicut arte medicínæ cálida frígidis, frígida cálidis curántur; ita Dóminus noster contrária oppósuit medicaménta peccátis, ut lúbricis continéntiam, tenácibus largitátem, iracúndis mansuetúdinem, elátis præcíperet humilitátem.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ipse est * diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pœniténtiæ ardóre mirábilem effecísti: da, quǽsumus; ut ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Vigiliæ per Ant. et ℣. de Feria occurrenti, ut in Psalterio.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Romani:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore,

Scanné avec CamScanner

et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesp. de S. Laurentio, Com. præced. :

Ant. Multi credéntium veniébant confiténtes et annuntiántes actus suos. ℣. Justum et Oratio Omnípotens, ut supra 120

DIE 13 AUGUSTI

SANCTÆ RADEGUNDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

Deus, cujus ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit : da nobis, ejus collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Claræ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu.

Deinde Com. Ss. Hippolyti et Cassiani Martyrum :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

RADEGÚNDIS, fília Berthárii, Thuringórum príncipis, Clotárii primi ex captíva conjux, beneficéntiam in páuperes, vigílias statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

OCCÍSO fratre jussu Clotárii, ipso permitténte ab aula discédens, sanctum Medárdum ádiit : cumque monásticam vestem suscepísset, in diáconam ab eo benedícta est. Pictávos profécta, ibi ex munificéntia régia monastérium Vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit. Impetravítque póstea a concílio Turonénsi secúndo congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio sorórem Agnétem Abbatíssam præfécit, quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

EA AUTEM pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat ecclésiis ; ac, præter cétera pietátis offícia, id illi máximæ curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fíerent in monastério. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in diœcési obeúnda Merovéo Pictaviénsi, cui tamen reservátum est ut revérsus Missam celebráret,

Scanné avec CamScanner

tumulóque opérculum impóneret.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile est... thesáuro abscóndito, de Comm. nec Virg. nec Mart. 1o loco.

Pro Ss. Hippolyto et Cassiano Mm. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Hippólytus, a sancto Lauréntio baptizátus, domi suæ, dum Eucharístiam súmeret, comprehénsus, et ad Valeriánum imperatórem addúctus, ab eo de suæ religiónis professióne interrogátus, líbere se christiánum proféssus est. Quam ob rem fústibus cæditur; quibus in verbéribus cum ejus fides constántior inveniréтur, munéribus et honórum promíssis tentátur. Quæ cum ómnia frustra diceréntur, præfécto occidéndus tráditur. Qui, domum Hippólyti véniens, ut ejus facultátes publicáret, totam famíliam christiánam esse cognóscit; atque, iis a christiána fide frustra detérritis, primum plumbátis cæsa Concórdia, Hippólyti nutríce, quæ céteros confirmábat, réliquos extra portam Tiburtínam occídi jubet. Hippólytus, indómitis equis raptátus per loca tríbulis et cárduis cónsita, laceráto córpore, spíritum Deo réddidit, unáque cum réliquis a Justíno presbýtero ad agrum Veránum sepúltus est. Eádem die, ad Forum Syllæ, crudelíssimo supplício affĕctus est Cassiánus Martyr; qui, vinctis post terga mánibus, puerórum, quos erudiébat, férreis stylis configéndus excarnificandúsque tráditur. Quorum quanto erat infírmior vis, tanto ejus pœna martýrii grávior ac diutúrnior, pálmaque illústrior.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

Deus, cujus ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit : da nobis, ejus collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. Per Dóminum.

Pro Ss. Martyribus :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni venerända solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : et panem otiósa non comédit.

Oratio Deus, cujus, ut supra.

Et fit Com. S. Eusebii Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

DIE 16 AUGUSTI

In Festo sancti Joachim

SANCTI ROCHI CONFESSORIS

COMMEMORATIO

Ad Laudes Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Scanné avec CamScanner

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi; et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DIE 18 AUGUSTI

FESTUM B. MARIÆ VIRGINIS ob votum Ludovici XIII

Duplex majus

Omnia ut in Festis B. Mariæ Virg., præter seq.

IN I VESPERIS

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Reges et regínæ, * vultu in terram demísso, adorábunt te, et fílios tuos ego salvábo.

Oratio

Deus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, super choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis patrónam provídisti: óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium; quod tutélæ ejúsdem Vírginis rex piíssimus voto perpétuo commendávit: Qui vivis.

Et fit Com. S. Hyacinthi Conf.:

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum, ut supra.

Oratio

Deus qui nos beáti Hyacínthi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur.

Postea S. Agapiti Martyris:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

In I Noct., Lect. de die IV infra Octavam Assumptionis B. M. V. cum suis ℟℟., ut in Brev.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovícus décimus tértius, Francórum rex, memor gratiárum quas a Deo óptimo máximo, favénte Vírgine Deípara, fúerat consecútus, ut grati ánimi sensus futúris sǽculis testarétur, se suúmque regnum solémni voto beátæ Maríæ Vírgini consecrávit, edícto in hæc verba propósito : Beatíssimam et gloriosíssimam Vírginem in speciálem regni nostri Patrónam assuméntes, eídem speciáli modo nos, nostrum sceptrum, nostram corónam, nostrósque omnes súbditos dicámus et consecrámus. Cujus nostri mancipátus ne memória apud pósteros éxcidat, mandámus fíeri post Vésperas diéi festi Assumptiónis processiónem ritu et apparátu quam máxime solémni, in síngulis dominatiónis nostræ ecclésiis, tam parochiálibus quam cathedrálibus et conventuálibus, cujuscúmque civitátis et pagi : præcipiéntes ínsuper quátenus superióres cúriæ ac locórum optimátes dictæ processióni intérsint. Móneant étiam epíscopi pópulos omnes nostros, ut peculiári erga beatíssimam Vírginem amóre afficiántur, ipsiúsque patrocínium die illa solémni implórent, ut fretum ádeo poténtis Patrónæ præsídio, regnum nostrum ab ómnibus hóstium tutum sit insídiis, et diutúrna gáudeat pace ; Deúsque óptimus máximus tanta in eo colátur reveréntia, ut nos subditíque omnes ad beátum finem cui sumus cónditi téndere ac perveníre valeámus.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit : * Et vidéntes eam fíliæ Sion,

beatíssimam prædicavérunt, dicéntes : Unguéntorum effúsum nomen tuum. ℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes eam.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Vita functo Ludovíco décimo tértio, edíctum pii cónjugis confirmávit Anna Austríaca, regni moderátrix : quod votum Christianíssimi reges, avítam pietátem sectántes, exínde renovárunt. Unde peculiáris hujúsce Voti memória hac die recólitur. Pius vero Papa undécimus, votis episcopórum Gálliæ obsecúndans, in memóriam tértii hujus voti centenárii, anno millésimo nongentésimo tricésimo séptimo, Beátam Vírginem in cælos assúmptam præcípuam totíus Gálliæ Patrónam declarávit.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

De Oratióne sancti Ephræm Diáconi

Or. ad Ss. Dei Gen.

Virgo Dómina Dei Génitrix, jánua ætérnæ vitæ, misericórdiæ flumen inexháustum, ómnium charísmatum cæléstium ac miraculórum mare indefíciens : te orámus et te deprecámur matrem misericórdem benigníssimi Dómini. Réspice benévolis óculis captivitátem humilitatémque nostram ; visíbiles atque invisíbiles hostes dispérge. Turris fortitúdinis, armatúra béllica, ácies robústa, et dux, et propugnátrix invícta esto nobis indígnis a fácie inimicórum nostrórum. Osténde in nobis misericórdias tuas antíquas, et mirabília hódie. Líbera, Dómina, tuis précibus gregem hunc, peculiári modo in te confidéntem, et totam regiónem a fame, terræmótu, alluvióne, igne, gládio, incursióne barbarórum et bello civíli ; omnémque iram contra nos commótam

juste avérte beneplácito et grátia Unigéniti Fílii et Dei tui.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti, Creatórem mundi : * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo. ℣. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1

In illo témpore : Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth ; et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulíeres. Et relíqua.

Homilía sancti Joánnis Damascéni

In Annunt. B. M. V.

Benedícta tu in muliéribus. Et quómodo benedícta non esset María, et grátia plena, cum qua creaturárum Dóminus fuit, copulándo sibi ex ea templum quo opem géneri ipsíus afférret? O misericórdiæ Creatóris abýssum! o beneficiórum magnitúdinem, quæ némini pervestigábilis est! Glóriam ítaque prædicémus illíus glorificatióne spirituáli, eúmque laudémus, colláta nobis ab eo múnera perpétuis præcóniis celebrántes, et grátias agéntes; offeramúsque ei sacrifícia bonórum óperum íntegra et absque vítio.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. Proptérea.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

Quam ob rem omnes accurrámus, senes et adolescéntes, ætáte graves et junióres, omne agmen et genus præveniéntes ad honorándum Dóminam nostram ac nostræ natúræ Regínam; altitudinémque sanctitátis ejus honorántes, dicámus :

Scanné avec CamScanner

O glória filiárum, matrum decus! o miráculum quo missi a Deo Prophétæ percúlsi sunt et cujus glória Angelos sanctos súperat! Propítia sis servórum tuórum, qui auxílium tuum implórant, deprecatiónibus. Intercéde pro nobis apud Fílium tuum Deúmque tuum, uti peccáta nostra condónet, infirmitáti nostræ opitulétur, líberet a Pharaóne spirituáli, sicut liberávit Israëlítas a gúrgite, et transíre nos fáciat hujus mundi mare flúctibus furens, ventis abúndans.

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino : perfécta sunt in te quæ dícta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum : * Intercéde pro nobis ad Dóminum, Deum nostrum. ℣. Ave María, grátia plena; Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Pro S. Agapito Mart. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Agapítus Prænestínus, quíndecim annos natus, Aurelíano imperatóre, martýrii cupidíssimus, cum propter constántiam religiónis, imperatóris jussu, primum nervis diutíssime cæsus, deínde in tetrum cárcerem conjéctus esset, ut nihil omníno per quátuor dies gustáret, e custódia est edúctus. Et, ardéntibus carbónibus cápiti ejus impósitis, Deo agens grátias, íterum afféctus verbéribus, nudus ita pédibus suspénsus est, ut ingens fumus e subjécto igne os ejus obrúeret. Tum fervens aqua in ejus ventrem effúsa est, maxillǽque confráctæ. Quo témpore judex, e tribunáli lapsus, paulo post mórtuus est. Ea re incénso imperatóre, sanctum júvenem jubénte feris óbjici, cum illæ non audérent attíngere, Prænéste gládio percússus est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Tríbuat tibi Dóminus secúndum cor tuum. ℟. Et omne consílium tuum confírmet.

Ad Bened. Ant. Dixit ad regem : * Si invéni grátiam in óculis tuis, o Rex, et si tibi placet, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, super choros Angelórum exáltátam, fidélibus tuis patrónam providísti : óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium ; quod tutélæ ejúsdem Vírginis rex piíssimus voto perpétuo commendávit : Qui vivis.

Et fit Com. S. Agapiti :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis : atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Regína mundi digníssima, * María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium, allelúja.

Oratio Deus, qui, ut supra.

Et fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum, ad cultum sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua famílias congregáre voluísti : præsta, quǽsumus ; ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúmdem Dóminum.

DIE 22 AUGUSTI

IMMACULATI CORDIS B. MARIÆ VIRG.

Duplex II classis

Omnia ut in Breviario.

DIE 24 AUGUSTI

In Festo S. Bartholomæi

SANCTI AUDOENI

EP. ET CONF.

COMMEMORATIO

Dicitur ix Lect. et fit Com. in Laud. tantum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

AUDOÉNUS qui et Dado, Sancíaci in agro Suessionénsi, paréntibus piis et nobílibus natus, custos fuit ánuli Dagobérti, regíque ita accéptus, ut ad ipsíus arbítrium ómnia palátii negótia gereréntur. Sócium hábuit in aula Elígium, et ambo adhuc láici tamen in promovéndis regni et Ecclésiæ rebus óperam impendébant. Eódem die comam deposuérunt, et clero addícti sunt. Cum autem Audoénus Románo Rotomagénsi succéssor fuísset eléctus, abjéctis ómnibus palátii curis, lóngius ab aula discédens, Matiscónem perréxit, ut a Deódato, illíus urbis antístite, présbyter ordinarétur. Unde in réditu Ligeritánas Aquitániæ partes et Andegáviam eménsus, ubíque verbo et ópere Christi fidem confirmávit. Dénique Rotómagum cum Elígio convéniens, eódem die epíscopus consecrátus est. Apud Clippiácum prope Parísios febre corréptus, designáto sibi successóre Ansbérto, anno vitæ círciter septuagésimo quarto, pontificátus quadragésimo quarto, Christi sexcentésimo octogésimo tértio, cælo recéptus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes. Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, fidélium lumen et Pastor animárum, qui beátum Audoénum Epíscopum in Ecclésia posuísti, ut oves tuas verbo páisceret et informáret exémplo : da nobis, ejus intercessióne ; et fidem serváre quam verbo dócuit, et viam sequi quam exémplo monstrávit : Qui vivis et regnas.

Scanné avec CamScanner

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

REGIS, CONF.

Duplex II classis cum Octava simplici

In II Vesp. S. Bartholomæi fit Com. per Ant., ℣. et Orat. ut infra.

Si vero I Vesp. integræ dicantur :

Ant. 1 Virgam virtútis * emíssam ex Sion suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et judícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sǽculum sǽculi; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit eum * cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes Gentes Dóminus.

5 Reges terræ, * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capit. 1 Esdr. 7

Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

Rex summe regum, qui poténti númine
Quo sunt creáta regna nutu dívidis,
Dum thure fumant templa, voce pérsonant,
Audi profúsas regis in laudem preces.

Nascens in ipsa Ludovícus púrpura,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus :
Piæque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit, ántequam regat.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu :
Pietáte cælum flectit, aras éxcitat ;
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Eménsus æquor, inque líttus barbárum

Vexílla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio,
In Unitáte, quæ gubérnans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sǽcula.
Amen.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Magnif. Ant. Quæsívit Dóminus * sibi virum juxta cor suum; et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymn. Rex summe regum, ut supra.

In I Nocturno

Ant. 1 Diléctus Deo * et homínibus Ludovícus, cujus memória in benedictióne est, in lege Dómini meditátus est die ac nocte.

In tribus Noct., Pss. de Comm. Conf. non Pont.

Ant. 2 Ego autem * constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prǽdicans præcéptum ejus.

Ant. 3 Tu es, Dómine, * suscéptor meus, glória mea et exáltans caput meum, super míllia pópuli circumdántis me.

℣. Prævenísti eum, Dómine. ℟. In benedictiónibus dulcédinis.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Sapiéntiæ

Lectio i Cap. 7

Ego natus accépi communémem áerem, et in simíliter factam décidi terram, et primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum,

Scanné avec CamScanner

et curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, et símilis éxitus. Propter hoc optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus, nec comparávi illi lápidem pretiósum ; quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua ; et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam, quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa.

℟. Locútus es sanctis tuis, et dixísti, Dómine : * Exaltávi eléctum de plebe mea ; manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Deus elégit patres nostros, et suscitávit illis regem, cui testimónium pérhibens, dixit. Exaltávi.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Cap. 8

Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis : et acútus invéniar in judício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me : tacéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient ; et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo, per hanc, immortalitátem ; et memóriam ætérnam his qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos ; et natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi : in multitúdine vidébor bonus, et in bello fortis.

℟. Ecce dedit vobis Dóminus regem ; * Si timuéritis Dóminum, et serviéritis ei, éritis et vos, et rex qui ímperat vobis, sequéntes Dóminum

Scanné avec CamScanner

Deum vestrum. ℣. Deum timéte, regem honorificáte, quia sic est volúntas Dei. Si timuéritis.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Cap. 8 et 9

Et ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapiéntiæ scire cujus esset hoc donum, ádii Dóminum, et deprecátus sum illum, et dixi ex totis præcórdiis meis : Deus patrum meórum, et Dómine misericórdiæ, qui fecísti ómnia verbo tuo, et sapiéntia tua constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ quæ a te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte et justítia, et in directióne cordis judícium júdicet; da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, et noli me reprobáre a púeris tuis. Quóniam servus tuus sum ego, et fílius ancíllæ tuæ, homo infírmus, et exígui témporis, et minor ad intelléctum judícii et legum. Nam et si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Díssipat ímpios rex sápiens, misericórdia et véritas custódiunt regem, * Et roborábitur cleméntia thronus ejus. ℣. Qui custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Ant. 4 Fortis in bello, * máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgéntes hostes, quam glóriam adéptus est !

Ant. 5 Invocávit * Altíssimum poténtem, in oppugnándo inimícos úndique ; et audívit illum magnus et sanctus Deus.

Ant. 6 Succínxit se * arma béllica sua in prǽliis, et protegébat castra gládio suo.

℣. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso. ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovícus nonus Gálliæ rex, duódecim annos natus, patre amísso, et in Blanchæ

matris sanctíssima disciplína educátus, cum jam vigésimum annum in regno ágeret, in morbum íncidit : quo témpore cogitávit de recuperánda possessióne Jerosolymórum. Quam ob rem, ubi convaluísset, vexíllum ab epíscopo Parisiénsi accépit. Deínde, mare cum ingénti exércitu trajíciens, primo prælio Saracénos fugávit. Sed cum, ex pestiléntia, magna mílitum multitúdo periísset, victus ipse captúsque est.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt : vasa glóriæ nostræ captíva abdúcta sunt : * Quæ erat líbera, facta est ancílla : quo ergo nobis adhuc vívere? Omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, éxeat post me. ℣. Ascendérunt Gentes super latitúdinem terræ, et circuiérunt castra sanctórum et civitátem diléctam. Quæ erat líbera.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Rebus póstea cum Saracénis compósitis, liber rex exercitúsque dimíttitur. Quinque annis in Oriénte commorátus, plúrimos Christiános a barbarórum servitúte redémit, multos étiam infidéles ad Christi fidem convértit : prætérea áliquot Christianórum urbes refécit súis súmptibus. Interim mater ejus migrat e vita ; quare domum redíre cógitur, ubi totum se dedit pietátis offíciis.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, * Et in vínculis non derelíquit illum, et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, et erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Multa ædificávit monastéria et páuperum hospítia : beneficéntia egéntes sublevábat : frequens visébat ægrótos, quibus ipse non solum suis súmptibus ómnia suppeditábat, sed étiam, quæ opus erant, mánibus ministrábat. Vestítu vulgári utebátur, cilício ac jejúnio corpus assídue affligébat. Sed, cum íterum transmisísset, bellum Saracénis illatúrus, jamque

castra in eórum conspéctu posuísset, pestiléntia decéssit in illa oratióne : Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Ejus corpus póstea Lutétiam Parisiórum translátum est, quod in célebri sancti Dionýsii templo asservátur et cólitur ; caput vero in sacra æde Sanctæ Capéllæ. Ipse, clarus miráculis, a Bonifátio Papa octávo in Sanctórum númerum est relátus.

℟. Ipse est diréctus in pœniténtiam gentis, et * Tulit abominatiónes impietátis ; et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus : † In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Dei minister in bonum, vindex in iram ei qui malum agit. Tulit. Glória Patri. † In diébus.

In III Nocturno

Ant. 7 Habitábit confidénter * rex in tabernáculo Dómini, et in monte sancto Dei requiéscet.

Ant. 8 Desidérium cordis ejus * tribuísti ei, tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Ant. 9 Sanctus Ludovícus * accépit benedictiónem et misericórdiam a Rege glóriæ Dómino virtútum.

℣. Magna est poténtia ejus in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19, 12-26

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

De Civit. Dei l. 5, c. 24

Christiános quosdam imperatóres non ídeo felíces dícimus, quia vel diútius imperántes fílios morte plácida reliquérunt, vel hostes reipúblicæ domuérunt, vel inimícos cives advérsus se insurgéntes

et cavére et opprímere potuérunt. Hæc et ália vitæ hujus ærumnósæ vel múnera, vel solátia, quidam étiam cultóres dæmonum accípere meruérunt, qui non pértinent ad regnum Dei, quo pértinent isti ; et hoc ipsíus misericórdia factum est, ne ab illo ista qui in eum créderent velut summa bona desiderárent.

℟. Fecit quod erat bonum coram Dómino : non fuit símilis illi de cunctis régibus ; adhǽsit Dómino, * Et non recéssit a vestígiis ejus. ℣. Fecit mandáta ejus, unde et erat Dóminus cum eo. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Sed felíces eos dícimus, si juste ímperant ; si inter linguas sublímiter honorántium et obséquia nimis humíliter salutántium non extollúntur, sed se hómines esse meminérunt ; si suam potestátem, ad Dei cultum máxime dilatándum, majestáti ejus fámulam fáciunt ; si Deum timent, díligunt, colunt ; si plus amant illud regnum ubi non timent habére consórtes ; si tárdius víndicant, fácile ignóscunt ; si eámdem vindíctam pro necessitáte regéndæ tuendǽque reipúblicæ, non pro saturándis inimicitiárum ódiis, exérunt ; si eámdem véniam, non ad impunitátem iniquitátis, sed ad spem correctiónis, indúlgent ; si quod áspere cogúntur plerúmque decérnere, misericórdiæ lenitáte et beneficiórum largitáte compénsant ; si luxúria tanto eis est castigátior, quanto posset esse libérior; si malunt cupiditátibus pravis quam quibúslibet géntibus imperáre.

℟. Memória Ludovíci in compositiónem odóris facta, opus pigmentárii : * In diébus peccatórum corroborávit pietátem. ℣. Ipse est diréctus divínitus ad pœniténtiam gentis. In diébus. Glória Patri. In diébus.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Et si hæc ómnia fáciunt, non propter ardórem inánis glóriæ, sed propter caritátem felicitátis ætérnæ ; si pro suis peccátis,

humilitátis et miseratiónis et oratiónis sacrifícium Deo suo vero immoláre non négligunt : tales christiános imperatóres dícimus esse felíces ínterim spe, póstea reípsa futúros, cum id quod exspectámus advénerit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Virgam virtútis * emíssam ex Sion suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Pss. de Dominica.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem, et judícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sǽculum sǽculi ; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit eum *cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes Gentes Dóminus.

5 Reges terræ, * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capit. 1 Esdr. 7

Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

Hymnus

Templa nunc fument,
resonéntque cantu :
En, triumpháto Lodoícus
hoste,
Quærit ætérnas, tibi militándo,
Christe, corónas.

Hic tuos ardet repará-
re cultus :
Hic gregem tuto fugitívum ovíli
Reddit : hic armis tua
Christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdis, tibi
servit uni :
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, princeps.

Stat tua fidens ope, fortiórque
Sumit ex ipsis ánimos ruínis :
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Summa laus summo super astra Patri :
Fílio compar hómini Deóque ;
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris.
Amen.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Ad Bened. Ant. In tentatióne * invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Ad Horas Pss. de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Virgam virtútis * emíssam ex Sion suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevisStare, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et judícium exquisívit.

Capit. 1 Esdr. 7

Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini quæ est in Jerúsalem.

℟. br. Erudímini reges, * Qui judicátis terram. Erudímini. ℣. Servíte Dómino in timóre. Qui judicátis terram. Glória Patri. Erudímini.

℣. Rex qui sperat in Dómino. ℟. In misericórdia Altíssimi non commovébitur.

AD SEXTAM

Ant. Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sǽculum sǽculi ; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

Capit. Prov. 29

Rex qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur.

℟. br. Rex qui sperat * In Dómino. Rex. ℣. In misericórdia Altíssimi

non commovébitur. In Dómino. Glória Patri. Rex.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ. ℟. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini.

AD NONAM

Ant. Reges terræ, * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capit. Eccli. 47

STARE fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos : et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

℟. br. Confiteántur tibi, Dómine, * Omnes reges terræ. Confiteántur tibi. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. Omnes reges terræ. Glória Patri. Confiteántur tibi.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi. ℟. Qui das salútem régibus.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Virgam virtútis * emíssam ex Sion suscépit Ludovícus, indútus a Dómino decórem et fortitúdinem.

Pss. de Dom., sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes.

2 Inítium sapiéntiæ * timórem Dómini, hereditátem géntium, veritátem et judícium exquisívit.

3 Dispérsit, * dedit paupéribus, justítia ejus manet in sǽculum sǽculi ; rex lætábitur in Deo in ætérnum.

4 Collocávit eum* cum princípibus pópuli sui, excélsus super omnes Gentes Dóminus.

5 Reges terræ, * et omnes pópuli, príncipes et omnes júdices terræ laudent nomen Dómini.

Capit. Benedíctus, ut supra 140

Hymnus

TE, SANCTE, rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt : tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchora fundans rates,

Scanné avec CamScanner

Moves tyránnis bella,
Christo mílitas.

Vincis cadéndo : mors
tibi victóriam
Aufert et addit : corpus
hic palmæ tegunt
Nondum sepúltum ; sed
triúmpho nóbili
Cælum parátur, et coró-
nis sídera.

Tuus patérnæ rédditus
terræ cinis
Regnum tuétur, dum
throno præsens Dei,
Ætérna regnans pascis in-
ter lília,
Favénsque blando no-
stra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempitér-
na glória,
Honor, potéstas atque ju-
bilátio,
In Unitáte, quæ gubér-
nans ómnia,
Per cuncta regnat sæcu-
lórum sǽcula.
Amen.

℣. Introíbo in domum tuam, Dómine. ℟. Adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Ad Magnif. Ant. Operátus est * bonum, et rectum, et verum coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Et non fit Com. seq.

DIE 29 AUGUSTI

In Festo Decollationis S. Joannis Baptistæ

S. MEDERICI

ABBATIS

COMMEMORATIO

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Famíliam tuam, Dómine, in tua misericórdia sperántem, cælésti prótege benígnus auxílio: ut, quæ de beáti Mederíci Abbátis virtútibus gloriátur, ejus méritis et intercessióne, perpétua pace et unitáte lætétur.

Scanné avec CamScanner

Deinde Com. S. Sabinæ Mart. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius ; ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Medericus, Augustodunénsis, sǽculo círciter séptimo flóruit. Anno ætátis décimo tértio a paréntibus, quamvis primum reluctántibus, in monastério Deo oblátus est. Abbas eléctus, ministérium suum implévit verbo, exémplo et signis. Hortánte beáto Frodúlfo, quem de lávacro suscéperat, Parísios oratiónis causa venit : ubi, cum in céllula sancti Petri, ægritúdine rursum conflictátus, triénnio fere mansísset, ex hac vita in cæléstem migrávit, sepultúsque est in eádem céllula, ubi póstea basílica sub ejus nómine constrúcta est.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Famíliam tuam, ut supra 142

Deinde Com. S. Sabinæ :

Ant. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Deus, qui inter cétera, ut supra.

Scanné avec CamScanner

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 1 SEPTEMBRIS

OCTAVA SANCTI LUDOVICI

REGIS ET CONFESSORIS

Simplex

In II Vesp. S. Raymundi Nonnati, Com. S. Ludovici :

Ant. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum ; et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes.

Deinde S. Lupi Ep. et Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Deus, qui devóta sancti Lupi Confessóris tui atque Pontíficis instántia, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti : da, quǽsumus : ut cujus gloriósis adjuvámur præsídiis, exímiis provocémur exémplis.

Postea S. Ægidii Abbatis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio

Sancti Abbátis Ægídii, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos adjuvári, ut quæ hic crédidit appetámus, et quod juste sperávit consequámur.

Ultimo Ss. Duodecim Fratrum Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Scanné avec CamScanner

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. et Hymnus ut in Festo 133

Ant. et Pss. de Fer.

Lect. i et ii de Script. occurr. cum suis ℟℟.

Bened. Ad societátem.

Ex documéntis quæ pius rex Ludovícus Philíppo fílio suo pro testaménto relíquit

Lectio iii

Fili, imprímis te móneo quod Dóminum Deum tuum díligas ex toto corde tuo et ex tota virtúte tua ; nam sine hoc non est salus. Cor hábeas pietátis ad páuperes, míseros et afflíctos. Sis semper ex parte causæ páuperis, donec sis certus de veritáte. Si quis autem contra te querélam habúerit, stes, pótius pro causa adversárii tui, donec constet tibi de veritáte : et sic illi qui sunt de consílio tuo, cítius stabunt pro justítia. Si pro certo intélligas quod téneas áliquid de aliéno, sive ab antecessóribus tuis, sive a témpore tuo, statim restítue. Si res obscúra sit, veritátem inquíri fácias per discrétos. Benefícia ecclesiástica persónis idóneis dona de consílio spirituálium virórum, et eis qui non habent áliud benefícium. Sis devótus et obédias Matri nostræ Románæ Ecclésiæ et summo Pontífici tamquam patri spirituáli. Labóra quod omne peccátum de terra tua remóveas, máxime autem blasphémias et hæreses. In fine, óbsecro te, o fili, ut, si decédam ante te, fidéliter ánimam meam juvári fácias in missis et oratiónibus.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. et Pss. de Feria, Capitulum et reliqua ut in Festo.

℣. Invéni servum meum. ℟. Oleo sancto meo unxi eum.

Scanné avec CamScanner

Ad Bened. Ant. In tentatióne * invéntus est fidélis : ídeo dedit illi Dóminus glóriam in gente sua.

Oratio

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cæléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes : Qui tecum vivit.

Et fit Com. S. Lupi :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui devóta sancti Lupi Confessóris tui atque Pontíficis instántia, non credéntem pópulum ad tui nóminis agnitiónem evocásti : da, quǽsumus ; ut cujus gloriósis adjuvámur præsídiis, exímiis provocémur exémplis.

Deinde S. Ægidii :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Sancti Abbátis Ægídii, Dómine, supplicatiónibus tríbue nos adjuvári, ut quæ hic crédidit appetámus, et quod juste sperávit consequámur.

Postea Ss. Duodecim Fratrum Mm. :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet : quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Per Horas, Capit., ℟℟. br. et ℣℣. ut in Festo.

Scanné avec CamScanner

DIE 2 SEPTEMBRIS

Bb. JOANNIS MARIÆ DU LAU FRANCISCI JOSEPHI et PETRI LUDOVICI DE LA ROCHEFOUCAULD

PONTIFICUM

ac SOCIORUM

MARTYRUM

Duplex majus

IN I VESPERIS

Capit. Justórum, et Hymnus de Comm. plur. Martyrum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

Deus, qui Joánnem Maríam, Franciscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani Regis, Conf. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Concéde, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Labénte sǽculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros civílem cleri constitutiónem

fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Viri centum nonagínta unus fidelitátem ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Franciscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis epíscopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illǽsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

PÁRITER in Seminário sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « la Force », postrémis mensis Augústi diébus, áliquot presbýteri numerósis commíxti sunt láicis; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ sancti Joánnis *en Grève*,

Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impetítus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Servórum Dei relíquiæ atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jam dudum Ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Darboy Archiepíscopo, inde in cryptam Ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asserváta. In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vigésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mm. 1° loco.

Pro S. Stephano Rege, Conf. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

STÉPHANUS, Hungarórum rex, in Hungáriam Christi fidem et régium nomen invéxit. Régia coróna a Románo Pontífice impetráta, ejúsque jussu rex inúnctus, regnum Sedi apostólicæ óbtulit. Vária pietátis domícilia Romæ, Jerosólymis, Constantinópoli constítuit ; in Hungária archiepiscopátum Strigoniénsem et episcopátus decem admirábili religióne et munificéntia fundávit. Exímia in páuperes caritáte et assíduo orándi stúdio enítuit. Dei Genitrícem, quam ardentíssime venerabátur, amplíssimo in ejus honórem constrúcto templo, Hungáriæ patrónam instítuit, ab eádem vicíssim Vírgine recéptus in cælum ipso suæ Assumptiónis die, quem Húngari, e sancti Regis institúto, Magnæ Dóminæ diem appéllant. Ejus tamen festum, ex constitutióne Innocéntii Papæ undécimi, hac die potíssimum recólitur, qua Budæ munitíssima arx, sancti Regis ope, ab exércitu christiáno strénue recuperáta fuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nólite timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEUS, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde ; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Scanné avec CamScanner

℣. Justum dedúxit Dóminus, per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CONCÉDE, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus; ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, ut supra 150

Et fit Com. S. Stephani :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum et Oratio Concéde, ut supra.

Scanné avec CamScanner

INDEX

FESTORUM PROPRIORUM

ET COMMEMORATIONUM

MAJUS

19 S. Yvonis Conf. 3
25 S. Magd. Sophiæ Barat Virg. 5
28 S. Germani Parisien. Ep. et Conf. 7
29 B. Mariæ Virg. Omn. Grat. Mediatricis. 13
30 S. Joannæ de Arc. Virg. 25
31 Dedic. Eccles. Metropol 37
Eucharistici Cordis Jesu. 40

JUNIUS

1 De II die infra Oct. Dedic. 56
2 De III die infra Oct. Dedic. 57
3 S. Clotildis Reginæ, Vid... 58
4 De die V infra Oct. Dedic. 62
5 De die VI infra Oct. Dedic. 63
6 De die VII infra Oct. Dedic. 63
7 Oct. Dedic. Eccles. Metropol. 63
10 S. Landerici Ep. et Conf. 63
22 B. Innocentii V. 68
27 Ss. Agoardi, Agliberti et Soc. Papæ et Conf. Mm. . . 69

JULIUS

4 Com. Omn. Ss. Summ. Pontificum. 70
9 S. Bertranni Ep. et Conf.. 81
17 Bb. Teresiæ et Soc. Virg. et Mm. 83
19 S. Vincentii a Paulo Conf.. 88
21 S. Victoris Mart.. 101
30 S. Germani Ep. et Conf. 103

Scanné avec CamScanner

AUGUSTUS

3 Inventio S. Stephani Protomart.. 109
8 B. Petri Juliani Eymard Conf. 109
9 S. Joannis Mariæ Vianney 117
13 S. Radegundis Reginæ, Vid. 121
16 S. Rochi 124
18 B. V. M. ob votum Ludovici XIII. 125
24 S. Audoeni Ep. et Conf. 131
25 S. Ludovici Regis, Conf. 132
29 S. Mederici. 142

SEPTEMBER

1 Oct. S. Ludovici Regis, Conf. 144
2 Bb. Joannis Mariæ du Lau et Soc. Mm.. 147

INDEX HYMNORUM

Æterna Christi munera. 72
Aureliani turribus 27
Christus, humani generis 15
Cor dulce Jesu, Pabuli. 41
Cor dulce Jesu, quis. 40
E Corde Jesu prodiit 53
Hostium victrix. 54
Insidens nostris 55
Maria, quæ mortalium 23
O qui supernæ (Benedicti XIV). 90
Qui mutare solet (Benedicti XIV). 88
Quis novus cælis (Benedicti XIV). 100
Rex gloriose Præsulum. 71
Rex summe regum (Isaac. Habert) 132
Salve virilis. 37
Stat cultrix vigilans. 26
Templa nunc fument 139
Te sancte, rursus (Isaac. Habert). 141
Ut nunc ab alto (Benedicti XIV). 97

Scanné avec CamScanner